AD FRIDE
RICI STAPHYLI CON
FICTAS ET CALVMNIAE PLE-
nas Antilogias re-
ſponſio.

Autore IACOBO ANDREAE, The-
ologo, & Paſtore Eccleſiæ Göp-
pingenſis.



FRANCOFORTI
M. D. LVIII.

C

PIO

Aug
& pa
præt
diffe
ta, qu
nem
phyl
The
In ei
prin
ut r
null

Christiano ac

PIO LECTORI IACOBUS Andreæ S. D.

POstquàm Colloquium Vuormacienſe ſuperiore anno decreto Imperij ad 24. diem Auguſti indictũ, abruptũ eſſet, & paucis ueræ cauſæ notæ erant, præter uulgatum rumorem de diſſenſione Theologorum exorta, qui ad defendendã confeſſionem Auguſtanam miſſi ſunt, Staphylus Epitomen trimembrem Theologiæ Lutheranæ edidit. In eius primo libro recenſet falſa principia doctrinæ Lutheranæ, ut rudioribus perſuadeat, eam nullo ſolido fundamento niti. In

ſecundo, quaſdam antilogias po
ſuit, quibus demonſtrare cona
tur, Auguſtanæ Confeſſioni ad
hærentes, in fundamento doctri
næ pugnare. In poſtremo noua
nomina pro ſui ingenij facilitate
nouarum hæreſeon confinxit, ut
odium aduerſus noſtram doctri
nam augeret. In cuius titulo ſta
tim ab initio fucū facit Lectori,
ubi ſcribit: Hæc propoſita eſſe
Vuormaciæ durāte Colloquio,
quod quiſpiam opinari poſſet,
in publico confeſſu actum eſſe.
Cùm hęc fortaſſis (niſi menti
tur) priuatim in ſuis conuenticu
lis tractaſſent ſolum Papiſtę, ac
publicam actionē detrectarint.
Sed quo conſilio fecerit Transfu
ga, facilè diuinare licet. Nam ut
ſpem mittamus, quam illi exem
plum

plum collegarum fecit amplisi-
mam, qui infimo loco nati, hisce
artibus ad splendissimos Episco
patus peruenerunt, se hac ratio-
ne cursum doctrinæ Euangelij
impediturum commodissimè ar
bitratus est, si specie Antilogiæ
de præcipuis capitibus doctrinę
nostræ simplicibus imponeret.

Sed Dominus pro immensa
sua bonitate & misericordia (cu-
ius causa agitur) hoc malorum
hominum consilium inuertit, ut
& suæ gloriæ & propagationi ue
ræ doctrinæ seruiat.

Postquàm enim pius Lector
uiderit, prȩter manifestas calum-
nias & impudentissima menda-
cia nihil adferri, facile iudicare
poterit, Papistas iam pridem de
suæ causæ bonitate desperasse,

quòd hæc extrema sint, & longè miserrima præsidia, ad quæ confugiunt.

Ac tantum abest, ut certitudo Augustanæ Confessionis tam uano libello labefactaretur, q̃ uix alia ratione eius ueritas commodius demonstrari potuerit. Cum enim ex omnibus partibus Christianismi, etiam extra fines Imperij doctissimos quosq; suæ impietatis defensores accersiuerint, qui fundamenta Augustanę Confessionis euertant, Nec quic quam aliud inuenerint, quo causæ nostræ nocerent, quàm uanitatem istam, in quam post multas & uarias deliberationes, non sine inuocatione spiritus consenserint, qui horum mendaciorum autor est, quis uerè pius amplius

illorum

illorum minas curauerit?

Malè igitur & causæ, quam defendendam susceperunt, & existimationi suæ consuluerunt, dum hanc unicã apud suos prætexunt causam, quo minus progressi sint, obstitisse aduersæ partis dissensiones. Vanissimum enim est, quod affirmant, aliquam de ipsius Confessionis articulis inter Theologos fuisse dissensionẽ, sicut idoneis testibus doceri potest, sed de personis solũ, cum de reipsa summus esset consensus. Etsi de personis quoque in hoc consentiebant omnes, si errorum conuicti fuerint, propter quos grauiter accusati sunt, nullos inter ipsos habituros patronos & defensores. Si uero aliqua de rebus ipsis fuisset dissensio,

paratissima ipsis Papistis & glo-
riosa fuisset victoria, quam utiq;
non neglexissent, nisi ipsis consti-
tisset, maiorem esse inter nostros
consensum, quàm uellēt. Si enim
nostri de aliquo articulo interro-
gati, sex diuersas, contrarias, aut
contradictorias opiniones attu-
lissent, quę Augustanę confessio-
ni aduersarentur, quomodo cō-
modius nostrorum uanitas corā
totius Imperij ordinibus manife-
stari potuisset, siquidem id nullo
modo declinare potuissent? Cū
autem nostri magno consensu
progressum Colloquij urserint,
& ad defendendos omnes Arti-
culos Augustanæ Confessionis
sese unanimiter obtulerint, sed
nihil quicquam obtinere potue-
runt, luce meridiana clarius est,

Papistas

Papistas hac tergiuersatione, sicut antehac semper, sue causæ diffisos esse, & lucem odisse, quoniam non tantum opera, sed etiam doctrina illorum erat mala. Desinat ergo Sycophanta Augustanam Confessionem in Vtopiam relegare, quam tot pij Principes magno consensu amplexi sunt, & sciat se suis calumnijs, deprauationibus & mendacijs, causam Papistarum non meliorem, sed multis modis malam, debilitatã, deteriorem reddere. Ad ea breuiter respondere uolui, ut omnes pij uideant, ueterem hanc esse Eccij, Cochlei, Vuitzelij, & aliorum pontificiorum adulatorum cantilenam.

IN Præfatione satis prolixa, aliquot argumentis, seu potius uno in uarias formas deducto, demonstrare conatur, doctrinam, quam profitentur Augustanæ Confessioni coniuncti, ruituram.

Primum desumptum est ex natura mali, quod seipsum destruat, & bonum corrumpat, & est eiusmodi.

Malum est sui ipsius destructiuum.

Hæresis est mala. Ergo

Hæresis est sui ipsius destructiua.

Responsio. Totum argumentū conceditur, cum hæresis sese opponat ueritati, utcunq; durare uideatur, & sibi stabilitatem polliceri, tamen concidet. De hæresi autem disputatur, utra pars eam defendat, Papistæne, qui aliena, & quæ ex diametro pugnant cum doctrina Prophetica & Apostolica docent. An uero, quos uocant Lutheranos, qui humanis commentis ueritatē Dei opponunt.

Ad hypothesin deinde transfert Thesin. In Germania sunt uarij motus, qui non tantum ruinam, sed uastitatem quoq; florentissimo regno minitantur. Ergo doctrina per Lutherum & eius asseclas introducta, est hæretica & mala, & destructiua sui ipsius, & corruptiua omnium bonorum, quibus Germania ante suscitatam hæresin Lutheranam florebat.

Respon-

Responsio.

Fallacia est accidentis, & à non causa ut causa. Non enim huius uastitatis est causa, doctrina Euangelij, sed mala & peruersa uoluntas hominum, qui Euangelio nolunt obtemperare, sicut exempla docent Prophetarum, quorum Concliones non tantum tristes motus, sed etiam regni Israelitici uastitas comitabatur. Non erat causa harũ calamitatum Prophetarum doctrina, sed Israelitarum peruersitas, qui nolebant Prophetis rectè monentibus obtemperare. Etsi uniuersus populus omnem culpam in Prophetarum doctrinam reiiciebat, sicut Ieremiæ 44. legitur: Cum seruirent Reginæ Cœli, pacem & omnium rerum affluentiam fuisse in regno clamant: sed postquam ipse cœperit in nomine Domini loqui, in uniuerso regno inundasse omnia genera malorum. Quapropter etiam illi in faciem loquuntur, Non faciemus quod loqueris nobis in nomine Domini. Doctrinam Euangelij Hierosolymis per Christum & Apostolos promulgatam secuta est horribilis & urbis & totius regni deuastatio. Num eius causa in Christi doctrinam redundabit? sicut in omnibus publicis calamitatibus apud gentiles, Christianis nihil sperandum erat, quàm horribilis persecutio, Ad Leones, clamare solebant, quòd existimarent,

omnium malorum causam esse doctrinam, quam profitebantur.

Quòd si hic Cuculus eandem cantilenam nobis occinat, surda aure prætereundum est: has enim uoces iam hisce quadraginta annis non semel audiuimus, cùm doctrinã suam tueri nequeant, hanc nostram quibus possunt calumnijs grauant. Sed cùm solius ueritatis sit stabilitas, διαβόλου autem certissima ruina, quod alijs minatur, uideat ne in caput ipsius recidat malum, & incidat in foueam quam alijs fodit.

ALTERVM Argumentum est eiusmodi

Doctrina quæ templa spoliat, Ecclesias (lapides & ligna) defœdat, facultates Ecclesiasticas eripit, ad miseriam cunctos, & ad paupertatem Ecclesiasticos curatores redigit, est mala. Doctrinam Lutheri hæc mala sunt comitata. Ergo doctrina Euangelij est mala.

Ad hoc Argumentum perspicuè respondemus, & dicimus quoq; esse fallaciam accidentis, si quid in hac parte à nostris peccetur.

Vera ornamenta Ecclesiæ dicimus, non Lapides & ligna, argento, auro, & gemmis exornata, sed frequentiam populi, qui ad audiendum uerbum Dei congregatur, et Euangelio obtemperat.

Non ergo dicendi sunt templa defœdare, qui Idola tollunt ex oculis hominum, quæ ad horribilem Idolatriam prostabant.

De bonorum Ecclesiasticorum direptione in= fàdicemus, si qui in priuatũ usum ea cõuertunt, apud nostros minime probari, Et successum non habituros, qui manus suas auro Tolossano pollu= erint, sæpe demonstrauimus.

Cùm apud nostros in publicos usus conferun= tur, uidelicet ad conseruandum Ministerium do= cendi in Ecclesia, ad instituendas scholas, & ad pauperum sustentationem, si fiat collatio, utra pars melius collocârit hæc bona, manifestum fie= ret. Id quod exemplo Staphyli in capite de bonis Ecclesiasticis breuiter docebimus.

Sed esto, bona Ecclesiastica diripiuntur apud nostros, & pessimè collocantur, non tamen sequi= tur, doctrinam quam profitemur, esse falsam, ma= lam & hæreticam. Est enim fallacia accidentis. Nam direptio bonorum, quæ ad Ecclesiam per= tinent, neq; docetur, neq; cõsulitur apud nostros.

Nouum & prægnans argumentum est recens à Staphylo excogitatum, quod perspicacissimi So= phistæ & Romanæ sedis defensores acerrimi ante ipsum non uiderunt, admodum ridiculum.

Plures domus & agri apud Papistas sunt uena= les quàm apud Lutheranos. Ergo Papistarum do= ctrina uera est, Lutheranorum falsa.

Si dicamus quod res est, impietate doctrinæ, et morum impuritate sacrificulorum uestrorum bo=

neſtiſſimos quoſque offenſos, non ſine diſpendio rei familiaris ad nos migrare, ne impuris ſacris ueſtris ſe polluant, forte cauillabitur. Sed ſi ſolitudo ueritatem doctrinæ probat, fatebimur non inuiti, bonitati cauſæ noſtræ obſtare frequentiam hominum, qua eorum pronunciæ commendatæ ſunt, qui doctrinam Euangelij profitentur.

ALIVD ARGVMENTVM adfert.

Malum ſeipſum conſumit.

Nota formã Syllog.

Lutheranorum doctrina ſeipſam conſumit.

Ergo Lutheranorum doctrina eſt mala.

Sic argumentatur bonus ille uir.

Sed ad Minorem reſpondetur per Inficitionem, falſam eſſe. Tantum enim abeſt, ut ſeipſam conſumat, quin potius conſpicitur, quòd quotidie terminos ſuos proferat. Sæpe quidem & multum conati ſunt eam hoſtes ueritatis opprimere, ſed quoniam fundata eſt ſuper petram, quæ eſt Chriſtus robuſtiſſima & firmiſſima, à ruina nihil nobis metuendum eſt.

Quod autem de diſſenſionibus & concertationibus inter noſtros adfert, quàm ſit infirmum argumentum, omnes uidere poſſunt. Poſtquàm doctrina

doctrina Euangelij inter Gentes promulgata est, uariæ dissensiones exortæ sunt inter eos, qui nomen Christi profitebantur, sicut Ecclesiastica historia docet. Inter gentiles autem utcunque uariarent & sacra & dij, summus erat consensus. Si igitur hoc Staphyli, & omnium Papistarum Argumentum ualet, qua ratione uindicari potuit ueritas doctrinæ Euangelicæ, quam Christiani gentium Idolis opponebant, cùm negare non potuerint, quæ omnibus conspicua erant offendicula?

Ne autem pij moueantur hisce offendiculis, Christus monuit parabola de zizania. Item quod inquit: Væ mundo ab offendiculis. Et Diuus Paulus priore ad Corinthios Capite undecimo: Oportet esse sectas, ut qui probati sint, manifesti fiant. Infirmum ergo est, quod acutus Philosophus ad oppugnandam doctrinam nostram adfert argumentum.

Ad conuicia non respondemus, quòd scribit, feralia esse nomina Lutheri, Philippi, Caluini, Illyrici, & quòd nos uocat Lenones. Innocentia enim nostrorum conspicua est omnibus, cùm ipsi non nisi nefandis sceleribus sint conspicui.

ALIVD Argumentum.

Boni natura est sese unire.

Lutherani in doctrina non sunt uniti.

Ergo Lutheranorũ doctrina non est bona.

Respondeo. Bonum per se & in se consideratum natura sese unit, sed, quod bonum est natura, corrumpi non possit, uel ipse Staphylus non asseret, utcunq; sit absurdus in alijs.

Ad minorem ergo respondemus per Inficiationem. Lutherani enim in Fundamento doctrinæ non dissentiunt, sicut infrà demonstrabimus. Sed negare non possunt, Sathanam etiam seminare zizania in agro dominico. Fit etiam interdum, ut quis sæpenumero secum ipse dißideat, hoc est, eandem scripturæ sententiam aliter interpretetur, sed tamen secundum fidei analogiam, ne fundamentum euertatur.

ALIVD.

Consensus est argumentum ueritatis doctrinæ catholicæ.

Apud Lutheranos non est consensus. Ergo

Lutheranorum doctrina non est uera.

Ad maiorem respondemus. Non omnem consensum esse ueritatis argumentum. Totus enim mundus consentit in mendacium & peccata. Ergo ne propter hunc consensum mendacia & peccata iustificabimus? Est suus quoq; consensus inter Latrones,

trones, Scortatores. Num propterea Latrocinia & libidines probabimus? Ad minorē sæpe respōdimus, rūpāturIlia Codro et Staphylo, in fundamēto doctrinæ cōsensum esse eorū, quos Lutheranos appellat. Nec obstat huic consensui, q. de quibusdam obscurioribus quæstionibus uarient sentētiæ, quarum subtilitatem uulgus Christianū sine periculo animarum, et interdū utiliter ignorare possunt.

Agnoscamus ergo magnitudinem odij et furoris Sathanæ aduersus Ecclesiam ueram, & Euangelij doctrinam, qui tot dissensiones inter ueritatis propugnatores, interdum etiam de rebus leuissimis excitare studet, ut à cognitione ueritatis deterreat, qui magno consensu errorem & impietatem sequuntur. Si autem accedat charitas, quæ multitudinem peccatorum operit, multas etiam infirmitates fratrum tolerare & corrigere poterit. Qui uerò hæc Ecclesiæ uulnera non student sanare, sed augere, et mendacijs ac calumnijs deteriora reddere conantur, ut maior animorum distractio fiat, hoc argumento produnt, quo spiritu agantur, & suo tempore sentient seuerissimū iudicem, quem nos agnoscemus ueritatis & innocentiæ uindicem.

Hæc in summa, friuola argumenta sunt Staphylli in præfatione, quibus frustra suis persuadere conatur, nostram doctrinā, quæ æterna Dei ueritas

est, ruituram, quibus certum est non permoueri, nisi qui minus rectè in doctrina Euangelij instituti sint. Nunc ad Topica Prædicamenta accedamus, quæ Staphylus inquit esse Lutheranæ doctrinæ & demonstrationum nouæ Euangelij principia, quæ impudenter aduersus Euangelicæ doctrinæ assertores confinxit.

Primum Topicum Prædicamentum.

LVtherus Germaniæ propheta instaurauit Euangelium. Ergo

Luthero omnia credenda sunt.

Hoc commentum uanissimum est Staphyli. Etsi enim meritò Lutheri authoritas apud uerè pios magna est, tanti tamẽ non fit apud Euangelij assertores, ut propter ipsum erroribus assentiantur. Nec sibi unquam eam authoritatem arrogauit Lutherus. Et in collegis probauit, qui in publico conuentu cùm per pontificios etiam Antilogiæ Lutheri proponerentur, affirmabant, se non eius gratia ad Collationẽ uenisse, ut Lutherum defendant, sed doctrinam Propheticã & Apostolicam, cuius summa compræhensa sit in Confessione Augustana. Si qd alienũ ab ea Lutherus docuerit aut scripserit, ipse Lutherus pro se respondeat. Hæc uox Luthero grata fuit, qui sua scripta ex libris Propheticis & Apo-

& Apostolicis iudicanda ueræ Ecclesiæ semper subiecit. Nec sibi fidem haberi uoluerit, nisi quam defendendam susceperit sententiam, scripturæ sacræ testimonijs comprobauerit.

Figmentum ergo est uanißimum & putidum, quod posuit primum ac præcipuum Topicum prædicamentũ seu principium doctrinæ Lutheranæ. Si enim doctrina nostra non meliori niteretur fundamento & principio, non sine causa ruina metuenda esset.

Nos uicißim demõstrabimus, hoc uanißimæ ipsorum doctrinæ esse principiũ, qui semper in ore habent non uerbũ Domini, sed hominũ traditiones, in primis uero Romani Põtificis, in cuius pectoris scrinio dijudicatio controuersiarũ sit descripta, à cuius sententia non sit prouocandum, propterea quòd iudicaturus sit iudicij ueritatem.

Hãc arrogantiã et impudẽtiã Sycophãta astutè dißimulat, et nostris affingit, ad quorũ innocẽtiã cõprobandam conscientiã eius sauciatã appello.

Secundum Topicum prædicamentum.

LVtherus fuit Propheta et alter Elias, Ergo quæcunq; ille censet in sacris Biblijs esse hagiographa scripta, ea debent haberi pro authenticis, & hagiographis, quæ ille reijcit pro reiectis.

Est & hoc Staphyli putidum commentum, Nec ullo testimonio comprobari poterit. Quæ enim in primitiua Ecclesia fuerit opinionum diuersitas de authore epistolæ Iacobi, Epistolæ ad Hebræos, Eusebius testis est. Apocalypsin idem asserit à quibusdam Cherinto aut eius sectæ cuidam ascriptã esse. De libris Machabæorum quod fuerit D. Augustini iudicium, fortassis non latet Staphylum. Cùm ergo horum sententias, de prædictis libris hagiographis insertis, referat Lutherus, & suum quoq; consensum adiungat, planum est Lutherum suæ uel audaciæ uel authoritate libris scripturæ nihil detraxisse. Atq; hoc loco etiã uanitas Transfugæ refutatur.

Tertium Topicum prædicamentum.

Solus Lutherus rectè uertit Sacra Biblia, Ergo uetus translatio latina, & græca interpretatio 72. prauæ sunt uersiones. Item Ecclesia ad nullam uersionem alligata est.

Negari non potest Bibliorum uersionem Lutheri in lingua populari multis uersionibus meliorem. Quemadmodũ excusari non potest, plus quàm sexcenta loca in uersione uulgata non rectè translata esse.

Rectè etiam dicitur, Ecclesiam non esse alligatam ad

m ad certam aliquam uersionem, quin liceat ab
recedere, si rei ueritas urgeat ac postulet.
Sed quòd subiungit, hoc Principio niti Luthe-
nos, quando premantur Euidenti scripturæ te-
u, quòd ad translationẽ Lutheri confugiant, id
aphyli commentum est. Si uero non uult ad fon-
recurri, cùm multæ controuersiæ ex phrasi
udicari queant, quid D. Augustino de doctrina
hristiana respondere uelit ipse uiderit.
Extremæ cæcitatis argumentum est in homine
ndito, qualis uideri uult Staphylus, Euidentem
ctum esse pro sanctorum inuocatione Gene. 48
nocetur nomen meum super ipsos, ubi ex phra-
respondendum est, similis enim phrasis est Esa.
Vbi septem mulieres apprehendent fimbriam
nius uiri, ut inuocetur nomen eius super ipsas,
od idem est, ac denominari ab ipso tanquam ma
to, sicut Hebræa phrasis etiam tacente Luthero
uncit. Sic de reliquis etiam iudicandum est.

Quartum Topicum prædica-mentum Theologiæ Lutheranæ.

Scriptura sacra per se satis clara & aperta
est, & interprete non eget. Ergo quilibet po-
test intelligere illam, & interpretari, tam

sutor, pellio, tonsor, quàm Theologus & Episcopus. Ergo sola scriptura debet esse iudex controuersiarum Ecclesiasticarum.

Manifesta calumnia est. Cùm enim dicitur, Scripturam per se claram esse, non hoc uolumus intelligi, quòd nulla interpretatione egeat. Sed eorum error reprobatur, qui scripturam dicunt adeo obscuram, quòd non nisi ex interpretatione Patrum & conciliorum rectè intelligi, & uerus ac genuinus sensus erui possit. Ad hunc errorem refutandum dicimus scripturam claram & apertam. Si enim obscuriores loci occurrunt, semper per clariores declarari debent, & collatione sententiarum uerus sensus elici potest. Nam si Patrum sententia semper sequenda esset, cùm ipsi quoq; plerunq; uarient & interdum secum ipsi quoque pugnent, à fontibus abducerentur homines ad somnia & commenta hominum.

Deinde ingens discrimen est, inter intelligentiam eruditorum ac rudium. Quibus ministerium docendi commendatum est, ut sciant scripturas collatione locorum interpretari, necesse est. Eiusmodi autem tam exacta cognitio non sit necessaria in auditoribus, quos illi uocant laicos: Inueniastamen in nostris Ecclesijs Sutores, sarctores & tonsores, qui multo fœlicius rem, sententiam, statum,

& sum-

& summam scripturæ intelligant, quàm papistici Theologi, sacrificuli, aut si libet addere, etiam aliqui ex Episcopis. Quapropter si maximè Ecclesijs pelliones, uestiarij, fullones, cerdones, fabri, coci, gladiatores intelligentiæ scripturæ & dono docendi instructi præficerentur, rectius ecclesijs consuleretur, quàm quòd cura animarum indoctis, impuris, & omni genere flagiciorum pollutis committitur sacrificulis aut Monachis, qui ad omne opus bonum reprobi sunt. Nam quod ait, hanc causam esse, cur idiotis ministerium docendi committatur, quòd scriptura sacra per se clara sit, & omnes sint θεοδίδακτοι, uanum commentum est: quin potius ueram causam aßignemus, quòd experientia superioribus annis docuit in reformatione Ecclesiarum inter Sacrificulos centißimum non reperiri qui Ecclesiæ prima Elementa Christianismi tradere poßit. Aut si qui minus rudes sunt, tamen uita eorum omnibus flagitijs est polluta, ut uix numero fidelium censeri poßint, tantum abest, ut ministerium docendi eis committatur.

Ad dirimendas controuersias Ecclesiasticas alium iudicem nobis obtrudere non possunt quàm ipsam scripturam, cui canones, patres & omnium hominum expositiones subiectæ sunt & esse debent. August. ad Hier. Epistola 19.

Nec moueat nos quòd uidemus fanaticos homines scripturæ sententijs abuti. Sed hoc debemus Sacrificulis uestris, quorum ruditas & negligentia facit, cùm non rectè doceantur, ut in eiusmodi errores dilabantur.

Si quid utiliter decreuerunt Concilia & scholastici disputarunt, hoc principio nihil ipsis detrahitur.

Quod de controuersia iustificationis attulit paulò post explicabimus. Nunc sufficiat indicasse, cauillum esse quòd contradictionem huic controuersiæ inesse putat. Sicut enim non est ficta sed uera & realis participatio Diuinæ Iusticiæ, qua reipsa efficimur iusti. Ita non nuda est relatio qua per fidem propter obedientiam Christi reputamur iusti, hoc est, Deo grati & accepti. Nisi dicere uelimus fidem nihil esse, Et obedientiam Christi nihil esse, quæ causæ altera formalis, altera instrumentalis in iustificatione peccatoris concurrunt, quæ remißione peccatorum & acceptatione personæ definitur. In hac controuersia cùm diuersi non contrarij aut contradictorij positi sint status, rectè & piè ἀμνησίαν fecere, quos pacis & concordiæ pium studium commendat.

Quintum

Quintum topicum prædicamentum Theologiæ Lutheranæ.

MAior est authoritas scripturæ quàm Ecclesiæ. Ergo quicquid Ecclesia dicit contra Lutheranos, id semper minus uerum est, minusq; authoritatis habet, quàm si scriptura diceret.

Est hæc quoq; manifesta cauillatio. Ecclesia hominum est cœtus, qui uerbo Dei assentitur & obtemperat, si uero uerbo Domini non obtemperat sed repugnat, Ecclesia non est. E contra uerbum Dei est æterna Dei uoluntas scriptis propheticis et Apostolicis expressa. Siue igitur credat, siue non credat populus, uerbo Dei constat sua ueritas. Hinc manifestum est, maiorem esse uerbi quàm Ecclesiæ authoritatem. Ecclesia credit propter uerbum Dei, Ergo uerbo Dei magis creditur.

Sed operæ precium est, hoc loco commemorare, quid nouus Theologus nobis in controuersiam de Ecclesiæ authoritate adfert. Videlicet, hoc quæri, Sit ne uerbũ Dei magis uerum, si scriptum sit in papyro, an si insculptum in corde Ecclesiæ? Et litem tantum esse de præstantia subiecti, utrum nobilius subiectum sit ueritatis, uiuũ cor Ecclesiæ, an uero chartaceæ membranæ scripturarum: &

an maior authoritas uiuo pectori Ecclesiæ tribui debeat, an mortuis membranis & literis scripturæ? Minor haud dubiè (inquit Transfuga) his, illi maior: hactenus ille. Quid ad hæc dicemus? quis quæso non crediderit Sycophantam & Deo & hominibus illudere? Nemo enim nisi insanus fatebitur, si de subiecti præstantia disputetur, cor hominis papyro & membranæ præstare. Et siquidem de Ecclesia uera sermo est, nõ negari potest idem uerbum etiam cordi Ecclesiæ esse inscriptum, ex cuius ore dum audiunt peccatores, non minus assentiuntur, quàm si in ipso codice legant, aut quod maius est, ipsius Dei promittentis uocem audiant, iuxta illud, Qui uos audit, me audit. Quia uero plerunq; in terris Ecclesiæ nomen usurpant, qui Ecclesiam ueram persequuntur, ne simplices decipiantur quibusuis hominum commentis, sed de ueritate Dei certi sint, rectè dicitur, uerbi Dei esse maiorem authoritatem, quàm hominum, qui Ecclesia cùm dicantur, ab alijs hominibus non propter seipsum, sed uerbum Domini quod indubitatum afferunt, assensum exigere debent.

Sextum Topicum.

CONcilia & sancti patres errare potuerunt. Ergo legendi sunt cum iudicio, ut ea tenus

tenus probentur, quatenus cuilibet ex priuato iudicio (sed tamen secundum sensum Lutheri) uideantur congruere cum scripturis sacris.

Lutherum pro sua audacia & libidine Conciliorum decretis nihil derogasse, eius scripta in lucem edita testantur. Quæ autem cum uerbo Dei pugnant, iure reprehensa esse omnes pij fatebuntur, siquidem hominum authoritas uerbo Dei præscribere non potest. Nam quod sine uerbo Dei sancitum est, in Ecclesia meritò omnibus suspectum esse debet. Et noti sunt errores non tam Patrum quàm Conciliorum, de quibus suo loco prolixè disputatum est.

Quòd autem nobis imputat, si quando ad Conciliorum decreta uerbo Domini non amplius respondere ualeamus, ad hoc confictum principium recurramus, uanissimum est, & putidum mendacium.

Eodem loco habendum est, quod de arrogantia Lutheranorum scribit, quasi eam perfectionem sibi tribuant, quòd errare nequeant. Agnoscimus etiam nostram infirmitatem, & parati sumus cedere si error nobis demonstretur, quod in omnibus publicis & priuatis conuentibus est petitum & efflagitatum: Verùm aduersa pars suæ diffidens causæ, nunquam in arenam ausa est descendere, quos cum ad collationem cogere nostri

non possunt, mendacia quæ spargunt, ipsa ueritas confutabit.

Septimum Topicum.

VEritas Euangelij non alligatur ad certam aut temporis aut locorum aut personarũ successionem. Ergo ueritas Euangelij non non tenetur esse catholica.

Ego memimisse non possum, an quisquam ex nostris unquam dixerit aut scripserit ueritatem Euangelij non esse catholicam. Sicut enim una est Ecclesia uniuersalis in toto orbe dispersa, unus spiritus quo gubernatur, ita & doctrina Euangelij est una καθόλου, cuius cognitio aliàs clarior aliàs obscurior est, Veritas autem & uniuersalis est, & una.

Cui non contradicit, si asseratur, quòd ea non sit alligata certo loco, aut certo tempori, aut certis personis. Definitio enim harum circumstantiarum cum illa uniuersalitate (ut ita loquar), pugnat. Nec locus loco præscribere potest nisi ueritate. Temporis quantumuis longi contra ueritatem authoritas est nulla. Nec multitudo errantiũ errori (ut dicitur) facit patrocinium.

Et nihil obstat, quominus Euangelij ueritas & sit & dicatur catholica, quòd ex uno angulo eius illustrior prodit explicatio. Idem enim sentiunt omnes

omnes electi, utcunq; traditionibus premantur humanis.

Assertio ergo illa, qua non nisi uerbo Domini alligatam ueritatem dicimus, tantum illorum nugas confutat, quando propter loci, hoc est, urbis Romæ authoritatem, temporis diuturnitatem, & adhærentium multitudinem, quemuis errorem ecclesiæ obtrudere conantur.

Et uanum est, quod de supercilio & arrogantia Vuitteber gensium confingit. Illi enim sibi tantisper assentiri uolunt, donec error ex ueris fontibus non humanis commentis demonstretur.

Octauum topicum.

Videte ne quis uos decipiat per inanē Philosophiam. Ergo si quod argumentum urgens obijcitur ab aduersario, respondendum est, quòd sit sophisticum, quòd sit inanis Philosophia.

Postquam Staphylus agnitam ueritatem abiecit, ita assuetus est mendacijs, ut ueritatem nullam ex ore eius sperare possis amplius, nisi quod uerbum exciderit, quod tamē ita deprauare solet, ut etiam quod uerum dicat mentiatur.

Notum est uniuerso orbi, quòd Theologi Scholastici ex duobus integris, philosophia scilicet & Theologia, fecerint unum corruptissimum, quod

est, & dicitur, Scholastica Theologia. Hac ita obscurata est, inanibus, inutilibus & pernicios quæstionibus Euangelij ueritas, ut uix magnis laboribus & diligenti studio erui potuerit.

Eorum Sophistica cum ad metas artis, & ad ueritatis Euangelicæ regulam exigitur & error monstratur, quem pueri in scholis uidere & indicare possunt, hoc scilicet dolet istis argutis Theologophilosophis.

Et quæ est uestrorum hominum malicia, non pateretur sibi his friuolis effugijs responderi, nisi sophistica demõstretur, ut manibus palpari queat.

Nec omnia reijcimus scholasticorum libris comprehensa, sed iuxta Apostoli doctrinam omnia probamus, & quod bonum, retinemus, sophistica abiecta. In quibus & ingenium & studium probamus, uicem uero propter temporis iniquitatem, in quod inciderunt, dolemus. Ac nisi obstitissent in præcipuis capitibus doctrinæ Christianæ hypotheses Papales, multo purior illorum doctrina esset. Sed quoniam pro diuinis oraculis habebatur, quod impij Romani Pontifices cum impuris Cardinalibus Ecclesiæ propinarunt cœnum, omnes ingenij uires intenderunt, ut aliqua specie ueri defenderetur.

Nonum

Nonum Topicon.

QVod non habet expreſſum mandatum in Scripturis, hoc non eſt admittendũ, Ergo nulli canones, nullæ traditiones, nullæ leges humanæ, de quibus expreſſum mandatum in ſcripturis non extat, debet admitti.

Hoc Topicon agnoſcunt Lutherani, ſi ſine deprauatione Staphyli accipiatur. Infra enim oſtendemus magnam Canonum eſſe diuerſitatem. quidam articulos fidei uel repetunt uel explicant, quidam εὐταξίαν in Eccleſia ſeruiunt. Hi omnes ſcriptura compræhenſi dicuntur, & ſunt ſuo modo etiam expreſſi, præſertim cum non pugnant cum manifeſta ſcriptura, ſed ſcripturæ tanquam dominæ ſeruiunt & famulantur.

Ludit autem Staphylus uocabulis (In Scripturis expreſſum). Nã quod de uocabulo ὁμοουσίου negatur, etſi hæc literarum & ſyllabarum compoſitio non exprimitur in ſcriptura, res ipſa tamen, quam hoc uocabulum ſignificat, in ſcriptura eſt compræhenſa, uidelicet quòd filius ſit conſubſtantialis patri. Non enim λογομαχίαν erat inter Arrium & Athanaſium, ſed de reipſa controuertebatur, uidelicet de filij diuinitate.

Sic falſum eſt, Baptiſmum Infantum non ex-

preſſum eſſe ſcriptura, hæc equidem literarum compoſitio, INFANTES SVNT BAPTISANDI, *non continetur in Euangelio, Sed rem ipſam ſcriptura non exprimi, cum nomine omnium gentium comprehendantur quos baptiſari uolui: Chriſtus, hoc demum falſiſſimum eſt.*

Ita furor eſt & inſania aſſerere, Symbolum apoſtolorum non expreſſum in ſcripturis. Etſi nullibi hoc uerborum ordine recitetur. Eodem pertinet & quod de ſola fide iuſtificance, de ſeruo arbitrio, & bonorum operum neceſsitate dicitur.

Nec aduerſatur nobis Baſilij locus, ſicut ex Pauli uerbis notum eſt, quòd omnia liceant, ſed non omnia expediant, quibus uerbis apoſtolus nullos impios canones iuſtificauit, ſed qua libertate omnibus creaturis uti poſsit demonſtrat.

Decimum Topicum.

TOllite malum à uobis inquit D. Paulus. Ergo uſus rei & adeo res ipſa tolli debet propter abuſus. Et per cõſequens, propter malos mores ſacerdotum, tollendum erit ſacerdotiũ.

Hoc eſt ſeſquipedale & quadratum mendacium Staphyli. Nemo enim niſi inſanus ſic argumentaretur. Et teſtantur petitiones noſtrorum in publicis conuentibus factæ, non ut quæ benè & utiliter in Eccleſia ſunt conſtituta aboleantur, ſed ut abuſus,

abusus, impietas & opinio cultus tollantur, efflagitârunt.

Vanum est etiam de cœlibatu contra nostros commentum. Nemo enim ad coniugium cogitur, sicut factum est apud uos de impuro cœlibatu, sed pro diuersitate donorum liberum est omnibus castitatem uel in uirginitate, qui uerbum Domini capere possunt, uel in coniugio custodire.

Idem de Principum & Episcoporũ officio dicimus. impudenter mentitur, nos & Principum imperium, & Episcoporum ministerium abolere, quòd bis abatantur, sed utrunq; ordinem restitutum optamus in suam pristinam dignitatem, quæ luceat cum officium quisq; suum fecerit.

Quod ait Episcopis dictum esse: Tollite malũ exuobis, uanissimum est. Diuus enim Paulus toti Ecclesiæ Corinthiorum præcipit, ut quisque pro sua uocatione operam suam adiungat, ad præcidenda offendicula & mala, quæ in Ecclesiam irrepserunt.

Laicis autem dictum esse, ut sinant crescere zizania, impudens depravatio est. Christus enim de Ecclesia loquitur universa, quæ & Episcopis & auditoribus definitur.

Sed studio hoc laicis proposuit Sycophanta, quorum numero cùm contineantur Principes, intuere uult, quod aperte asserere non audet, Prin-

cipum officium esse tolerare in Ecclesia omnia, quæcunq; Episcopi & colluuies impurissimorum sacrificulorum & monachorum suscipiunt agenda, donec ipsimet Episcopi animum adiiciant ad piam reformationem, quod fiet ad Calendas scilicet græcas. Qua in parte, quid sit officij Principum aliàs dictum est.

Cuiusmodi sit discrimen inter zizania morum & hæresim doctrinæ non ignoramus. Sed in hoc uehementer errat Sycophanta, quòd in suis Clericis nihil præter morum impuritatem reprehendi queat. De moribus enim non est nobis lis & contentio, nam de nefandis libidinibus omnia collegia Papistarum loquuntur, & toti orbi nota est illorum castitas, quæ in laicis capitalis est.

Hæreseos illos reos agimus, hoc est, opinionum quæ cum doctrina Euangelij in scriptis Prophetarum & Apostolorum expressis pugnant. Quòd deprauauerunt & corruperunt doctrinam de peccato, De uiribus humanis post lapsum, De Pœnitentia, De Iustificatione fidei, De Gratia, De lege, De Euangelio, De Sacramentis, De ordine Politico & Oeconomico. Hæc sunt quæ in uestris accusamus. Hæc pijs Principibus, etsi Laici sint, hoc est, officium docendi illis non demandatum sit, tamen nullo modo ferenda sunt, sed exemplo piorum Regum Idolatriam abrogare debent,

bent, & hortatores esse Episcopis, ut uerum Dei cultum instaurent, ad quem ipsi suam quoq; operam conferant.

Rectè dicit, se per ocium hæc annotasse Topica: sienim adiunxisset studium cognoscendæ & prosi tendæ ueritatis, hæc non confinxisset. Nam uerè affirmare possumus putidissima esse mendacia, quæ Lutheranis ascripsit Topica, sicut singulis locis breuiter, sed quod satis est, demonstrauimus.

Metaphysica seu transcendentia quædam ex Apologia confessionis collecta.

Accedamus nunc ad Metaphysica, si fortè inueniamus eandem fidem ipsum in his præstitisse, quam uidimus in Topicis confingendis.

Contra primum Metaphysicum.

Omnia templa, Monasteria, scholas, & libros Theologorum ante quadragintæ annos de iusticia fidei mutos fuisse, quid opus est commemorare, quæ prostabant humanis traditionibus & commentis de meritis bonorũ operũ ex congruo & condigno. Nos ad eos prouocamus, qui hisce tenebris immersi fuerunt: libri

autem si legantur, quàm uana sit Staphyli excusatio docebunt. Quapropter uanum est, quod de Pythagorico αὐτὸς ἔφα cõfingit. Quid enim Lutheri authoritati tribuamus, supra in Topicis ostendimus.

Contra secundum Metaphysicum.

SCholasticorum doctrina de Iustificatione est omnibus nota, quòd bonis operibus meritum remissionis peccatorum adscripserit. Si quæ colligere potest testimonia ueritatis, nobis ad illorum delyria oppugnanda non erunt ingrata.

Quòd colligit propterea extinctum fuisse Euangelium adeoq; Ecclesiam, ipsorum respectu recte dicitur, postquam Antichristus in Templo Dei, hoc est, in Ecclesia sedit, id est, decretis suis Tyrannidem in miseras conscientias exercuit. Sed bonitate Dei semper reseruata sunt septem millia, quæ sua genua non curuarunt coram Baal. Verum ergo est alterum Metaphysicum, sed quod inde aduersus nos colligat, non habet.

Contra Tertium Metaphysicum.

QVòd hæc fuerit Scholasticorum doctrina ipsi Sophistæ negare non possunt, quam rationi-

rationibus declararunt. Si quis, inquiunt, homine creaturam ſuper omnia diligere poteſt. Ergo multo magis Deum creatorem. Fruſtra ergo hunc errorem negat, cuius conuinci poteſt.

Contra Quartum Metaphyſicum.

NEgari non poteſt, Papiſtas paſſim in Templis, ſcholis & Collegijs docuiſſe, homine ſuis operibus poſſe ſatisfacere pro peccatis, ſiquidem non tantum Legem implere, ſed etiam aliquid ſupererogare poſſit, quod præcepto diuino non tenebatur facere. Hæc doctrina quantum differat ab Ethnicorum opinione, qui Deum uictimis & honeſtis operibus placare ſtudebant, alij uiderint. Quòd ſi diſcriminis cauſa dicat Chriſtianorum opera ex fide proficiſci, quid quæſo ex Chriſto aliud quàm peccati miniſtrum ſiciunt? ſicut Apoſtolus ad Gala. 1. docet. Opinio ergo Papiſtarum quòd bonis operibus Deo ſatisfiat pro peccatis, cùm Chriſto ſuum honorem adimat, nihil minus uerum eſt, quàm quòd Chriſtiana appellatur, ſed prorſus Ethnica & idolatrica.

Contra Quintum Metaphyſicum.

QVòd negat Papistas unquam docuisse, q̃ per opera nostra mereamur remissionem peccatorum, adeo uanũ est, ut responso non iudicem dignum. Doceri potest diuersum literis inaulgentiarũ, quæ causam dederunt his motibus in Ecclesia, quòd sua prophana (bona dicere uolebam) opera uendiderũt certo precio. Si placet Staphylo communicabimus illi peccatorum taxã à Romano Pontifice & Senatu Cardinalitiũ factã, quo precia peccatorum, quibus expiari possunt, æstimata sunt.

Contra sextum Metaphysicum.

CONstat etiam Papistas tantum de Historica Fide locutos esse. Quòd enim dicunt charitatem fidei formã esse uanum est. Nã duæ species sunt sub eodem uirtutis genere comprehensæ, quarum diuersæ sunt definitiones, etsi semper sint coniunctæ, nec altera alterius forma esse potest, sicut scholastici nugati sunt.

Quòd autem docuerunt, hominem certò de salute sua statuere non posse, etsi sperare debeat, non nisi uanissimus homo negauerit. Personabat in omnibus scholis deprauatio sententiæ Salomonis: Nescit homo an odio uel amore Dei dignus, Vbi Salomõ docet, ex successu & euentu externarum rerum de pietate hominis non posse fieri certum

tum iudicium, ſiquidē eadem & piis & impiis interdum eueniant. Hoc Sophiſtæ tranſtulerunt ad doctrinam fidei, & docuerunt hominē de ſe ipſo, ac ſua ipſius ſalute non poſſe certum eſſe, quod uaniſſimum eſt.

Contra ſeptimū Metaphyſicū.

DE hoc Metaphyſico idonei teſtes ſunt ſcholaſtici Theologi, qui quomodo pœnitentiam definiant, & quas partes ponāt, contritionem ſcilicet, confeſſionem & ſatisfactionem, notum eſt. Ibi certè nulla fit mentio fidei, quam in alium locum reiiciunt. Fruſtra ergo negat Staphylus, quod ſexcentis teſtimoniis comprobari poteſt.

Contra octauum Metaphyſicum.

VTrunq; uerum eſt, Papiſtas docuiſſe, q. propter cōtritionem mereamur remiſſionē peccatorum, & quòd non gratis propter Chriſtum iuſtificemur. Siquidem docuerunt hominē non ſola fide, quod apud Paulum eſt, gratis, ſed fide & operibus coram Deo iuſtificari, ſicut iam multis annis, ſed fruſtra contenderunt. Quod cum ita ſit, qua fronte Staphylus hoc negare audeat, neſcio, quod equidem non faceret, niſi ſpiritu uertiginis agitaretur.

Contra Nonum Metaphysicum.

Scholasticos Theologos & Papistas humanis uiribus contra prædicationē gratiæ plus tribuisse, quàm ipsa ueritas tribuerit, constat. Cum de peccato Originis, quod Concupiscentiam uocant, disputatur, siquidem non propriè peccatum dici contendunt, quantum extenuent illam horribilem naturæ corruptionem mediocriter instituti iudicare possunt.

Contra Decimum Metaphysicum.

Nisi Apostata esset Staphylus, cùm principia Papisticæ Religionis in hisce Metaphysicis euertere uideatur, bonam spem de ipso concepissem, fore ut ueritati cederet. Et proprijs & sanctorum meritis, uirtutibus & passionibus uitam æternam promereri posse, si quis ante quadraginta annos negasset, pœnam hæreticis constitutam euadere non potuisset. Qua fronte igitur Staphylus hoc negare audet, cum hodie quoque suos habeat in publicis conuentibus patronos?

Quæ aduersus Metaphysica breuiter annotauimus, omnium scholasticorum libris euidentiſsimè do-

mè doceri possunt, id quod Staphylus ignorare nõ potest. Quapropter uanissimum est quòd asserit hic Lutherum in Clerum calumniosè & scelerate confinxisse crimina & errores, quibus nisi referti fuissent omnium scholasticorum libri, nunquam sese illis opposuisset. Et quid opus erat omni genere tormentorum animaduertere in eos qui idem profitebantur quod Papistæ, siquidem nunquam uideri uolunt negasse, Quòd gratis propter Christum et non propter opera iustificemur, quòd bona opera nõ sint meritoria uitæ æternæ. Quòd homo possit esse certus de sua salute, & similia, quæ si nostris largiti fuissent, iam pridem controuersiæ fuisset finis.

Sed quoniam disiudicatio controuersiarum manifesta fiet, si res ipsas probè cognoscamus de quibus iam multis annis ligitatum fuit, Nos breuiter quoq; per curremus, quas Transfuga de rebus ipsis antilogias in hoc maledico, impuro & uano libello proposuit. Cuius perspicua & breuis explicatio uanitatem authoris redarguet.

Nos eundem prorsus sequemur ordinem, quem Staphylus obseruauit, quo citius et facilius Lector deprehendere queat, si quid minus dextrè refutatum esset. Cùm enim de animæ salute hoc loco agatur, aliquid uel dissimulare uel calumniari studio, summũ crimẽ esse iudico, quo homo Domino Deo nostro reus fiat.

Mendacia & ca

lumniæ Staphyli, de materia Theologiæ Luthe- ranæ.

PRiusquam ad confictarum Antilogiarum refutationem accedam, principiò omnibus pijs testatum uolo, me hac ipsa nullas corruptelas probare. Sed hoc loco mihi saltem cum Staphylo negocium esse, quòd truncata uerba etiam rectè dicta studiò deprauet, ut suis persuadeat, nulli articulorũ Augustanæ confessionis de sua certitudine constare.

DE DEO.

SI uerũ est q. de Serueto scribitur, qui trinitatem tricipitem cerberum appellauit, iure supplicio mortis est ... fectus. Eius blasphemiã cùm nemo bonus probarit, cur hanc notam Euangelij doctrinæ inurere audet? Inuenias inter sui ordinis homines maiorem partem, qui de Trinitate adeo non sunt solliciti, ut prorsus non credant

dant esse Deum, siue trinus, siue unus dicatur. Argumento sunt nephandæ libidines Romanensium, etsi lubens tibi hic primas dederim Staphyle. Si enim credidisses Deum esse uindicem abnegationis fictæ contra conscientiam, Euangelij ueritatẽ nunquam abiecisses tam turpiter, nec tam impudenter uaria crimina confinxisses aduersus eos, de quorum innocentia conscientia tua testabitur.

Quod de λόγῳ scribit ex Illyrici sententia, diuersum eius scriptis nuper in lucem editis, doceri potest.

Disputatio autem qua de modo æternæ nativitatis filij differit, non est noua. Quam autem Staphylus adducit, instituta est, ut fiat explicatio de imperscrutabili Mysterio minus periculosa.

De imagine Dei.

DE hac semper uariæ & diuersæ opiniones fuerunt in Ecclesia. Apud diuum Paulum Christus Imago Dei dicitur, & apud eundem Iustitia & Veritas. Hæc diuersa inter se si cõferet Staphylus, quæ impietas sub diuersa nostrorũ Theologorũ explicatione lateat, demõstrare potest. Modo sciat nos scholasticorũ delirũ non agnoscere, qui loco prædictæ sentẽtiæ nobis attulerunt, Coloss. 1. Eph. 3.

Intellectum, uoluntatem, Memoriam. Item Intellectum, sensum ac motum. Etsi enim hæc in homine sunt numero unum, rationibus diuersa, tamen certum est Dominum loqui de tali imagine Dei, quam homo post lapsum amiserit, ut ad eam instaurandam filius Dei missus sit.

De Iusticia Originali.

QVòd Zuinglius iustificet Ethnicos propter præclaras uirtutes, etsi ex nostris nemo probet, & iam pridem confutatum sit, tamen immeritò reprehenditur à Staphylo qui meritum congrui à scholasticis confictum non abijcit.

De Lege.

HAe duæ assertiones non pugnant. Etsi enim Lex est necessaria, tanquam doctrina salutaris, tamen uerè dicitur ipsam nihil facere ad salutem promerendam, quæ sine lege propter obedientiam filij in Euangelio est oblata, & per fidem non autem per opera recipitur.

Quo sensu dicatur, Decalogum non pertinere ad Christianos & tamen diligenter prædicandum esse, pueris in scholis notum est. Et tu ignorare nõ potes illud Pauli, fideles non esse sub lege, sed sub gratia, quibus tamen regula uiuendi ex lege petenda

tenda est. Pertinet igitur ad Christianos decalogus ea ratione qua peccatum ostendit, & regulam uiuendi monstrat. Non autem ea ratione, ut damnare queat, qui gratia Dei à rigore eius propter filium sunt absoluti.

De peccato.

1. Siue Lutherus siue Zuinglius ab initio Euangelij exorti more scholasticorum sit locutus, qui peccatum originis extenuet, uterq; sanè declarauit concupiscentiam uerè esse peccatum, hoc est, reale quiddam, & rem cum uoluntate Dei pugnãtem, sicut scriptum est, Conscientiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Rom. 7.

2. Quod in Luthero reprehendit, suis scholasticis adscribat Theologis, quorum uariæ sunt de hac re opiniones. Plerique autem extenuant originalis peccati magnitudinem contra manifestum locum Pauli Rom. 7. & ex loco definitionis argumentum extruitur irrefutabile. Quicquid pugnat cum Lege Dei, propriè peccatum est. Concupiscentia pugnat cum lege Dei. Ergo proprie peccatum est.

3. Omne peccatum sua natura esse mortale, id est, dignum æterna morte, apud uerè pios extra controuersiam est. Nam utcunq; res in oculis nostris minuta & exilis uidetur, tamen quia infini-

tam & æternam Dei uoluntatem offendit, dignã etiam est infinita pœna. Quòd autem in electis sunt uenialia, id non intelligendum est ipsorum respectu, sed gratiæ Dei, propter quam non imputantur electis.

Quando Lutherus scribit, quòd sola incredulitas sit peccatum, hoc deprauat Staphylus fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, & calumnia indigna esset ad quam respõdeatur, nisi reperirẽtur qui odio personæ excæcati tam enormia sibi de nobis persuaderi paterentur. Lutheri enim sensus est, si totius mundi peccata cumulentur, hominem tamẽ damnare non possint, nisi accedat incredulitas. Si enim omnes impij uerè credere possent, Christum pro ipsorum peccatis satisfeciss̃e, nullus damnaretur. Qui credit in filium nõ uidebit mortem.

Si aliam calumniam extruat. Impunè ergo reliqua committamus peccata, siquidem periculum non est ne damnemur propter illa, modo non accedat incredulitas? Huic respondet Apostolus, quòd talium hominum iusta sit damnatio, qui in misericordiam Dei peccantes diuitias bonitatis eius contemnunt. Deinde cum fides non sit omnium, sed donum spiritus sancti, nec in illorum situm sit arbitrio, fidem, quando uelint, uel abijcere uel recipere, in quod periculum sese conijciant, calumniatores ipsi uiderint.

Quòd asscribit Luthero, peccatum in sanctis non tolli sed remitti tantum, non ut non sit, sed ut non imputetur, Augustinum Ecclesiæ suæ columnam damnauerit prius, cuius hæc sunt uerba, quæ Luthero asscribit.

De Libero Arbitrio.

DVæ ponuntur opiniones. Altera, quòd omnia fiant absoluta necessitate, quòd Deus sit causa peccati effectiuè non tantum permissiuè.

Altera, esse cõtingentiam in rebus humanis, ut possit aliquid fieri uel non fieri.

In negotio intricatissimo, nuda uerba & quidem durissima recensetis, sed potest ad hæc perspicuè responderi.

Certum est Deum non uelle peccatum Psal. 5. Tu es Deus non uolens iniquitatem. Certum etiam est, quòd inuito Deo nihil fieri possit, sic enim Deus non esset, qui omnia quæ uoluit fecit.

Cùm igitur peccatum Deus non uelit, & Deo inuito nihil fiat, quo nomine exprimi debeat hæc uoluntatis diuinæ ratio, uariè etiam inter scholasticos fuit disputatũ. Rectissimè autẽ in eorum numerum redigitur, in quibus nobis modũ exquisitionis præscripsit Dominus. Qui autẽ durioribus uerbis usi sint, aut minus duris, pia explicatione fãta, constabit de uera sententia.

Ita & de contingentia pronuntiandum est. Adulterium Dauidis cùm pugnet cum uoluntate Dei, certe uolente Deo & cogente non est perpetratum. Et uicißim inuito Deo non est factum, si enim uoluisset Deus, impediuisset. Accedit huc uoluntas Dauidis, qui uoluit non coactus à diuina uoluntate nec tamen prohibetur. Ergo respectu suæ uoluntatis contingens fuit: potuisset enim non committere adulterium. Ratio autem diuinæ uoluntatis explicatu est difficillima.

Opera quæ homo facit extra gratiam, hoc est, fidem, esse peccata, Rom. 14. extat: Quicquid non est ex fide peccatum est, & quid hic damnet Stapylus nisi Paulum non uideo, ut iustificet figmentum de merito congrui.

Bona opera quæ ex fide fiunt dupliciter considerari manifestum est. Primò respectu spiritus Christi, propter cuius obedientiæ meritum placent, & qui per spiritum suum facit bona opera in illis. Deinde respectu nostræ uoluntatis & carnis, quæ corrupta est. Vbi autem est imperfectio, hæc in se considerata digna est Iudicio, sed hæc imperfectio est uenialis, quòd propter Christum non imputetur. Sunt igitur bona quæ spiritus Christi in nobis facit, & simul etiam mala, quia uoluntas & caro nostra non perfectè obtemperat spiritui Christi.

Nulla

Nulla etiam est contradictio de assensu. Rectè enim dicitur, quòd homo possit assentiri & non assentiri. Non assentitur nisi gratia præueniatur, Et assentitur gratia præueniente, siquidem Deus non agit nobiscum sicut cum trunco, sed inest uoluntati hæc aptitudo assentiendi. Voluntate ergo homo sequitur malum, non coactione diuinæ uoluntatis, quæ hominis uoluntas ea ratione libera dicitur, quòd nulla sit in ea diuinæ uoluntatis coactio. Voluntariè etiam sequitur bonum: nisi enim uelit, non faciet, sed ut dictum est, non nisi Deo mouente & trahente, cùm post lapsum ita corrupta sit, ut non nisi malum uelit, si secus fiat, diuinæ bonitati adscribendum est.

De Euangelio.

QVòd ait Lutheranos asserere, quòd Euangelium non habeat uim legis aut mandati: Item quòd in Euangelio non sit aliquod præceptum Dei, prius calumnia est, posterius mendacium.

Etsi enim mandatum Dei est, credere Euangelio, tamen ipsum Euangelium per se consideratum non est præceptum, uel mandatum Dei, quod exigat à nobis instar Legis, sed promissio est, offerens perfectam impletionẽ omnium eorum, quæ in

lege à nobis requiruntur. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Item. Omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Item: Sic Deus dilexit mundum, &c. Nisi ergo quis legis uocabulo utatur in generali significatione pro doctrina diuinitus tradita, quicunque Euangelium legem dicunt, quid Euangelium sit prorsus ignorant. Siquidem legis proprium est, exigere facienda, Euangelij autem offerre uel remittere quæ aut omissa, aut contra mandata Dei perpetrata sunt.

Quod ait: In Euangelio secundum Lutheranorum sententiam nullum præceptum traditum, sophistica est calumnia. Nam nomine Euangelij interdum utimur generaliter pro scriptis Apostolicis, quibus fatentur nostri multas leges, & præcepta Dei, de bonis operibus inserta. Si uero loquamur de ipso Euangelio, hoc est, de promissionibus Euangelij, paulò antè diximus diuersas esse species, præcepta & promißiones, comprehensas sub eodem genere doctrinæ diuinitus traditæ.

De disposition ad gratiam.

Alterum

Alterum ex his duobus concedatur necesse est, uidelicet opera quæ præcedunt gratiam, qua nobis fides donatur, non esse peccata, Aut ipsa peccata præparare hominem ad consequendam aut recipiendem gratiam, sed prius falsum est. Rom. 14. *Quicquid non est ex fide, peccatum est. Posterius prorsus absurdum: Cum enim peccatum sit culpa, qua petimus liberari, aliud ab his necesse est ut sit, quo præparamur & habiles reddimur ad gratiam Dei recipiendam, qua & peccata teguntur & abolentur.*

Quod addit: Quanto sceleratior est homo, eo citius infunditur illi secundum Lutheranorũ sententiam gratia. Venenata est calumnia, quasi doceantur homines per nostros, ut cumulent peccata, quo habiliores reddantur ad gratiam, Cum Lutherus de agnitione peccatorum loquatur. Vere enim & rectè dicitur, eo citius homini gratiam infundi, quo magis sua peccata agnoscat, sicut uidere est in Publicanis & Peccatoribus, contrarium in Pharisæis. Pharisæi enim quo pauciora attulerũt peccata ad Christũ, intellige, sua ipsorũ opinione, eo minus apti fuerunt ad gratiã Christi recipiendã, de qua hoc minus folliciti fuerant, quo minus magnitudinẽ peccati agnouerant. Pharisæi igitur diuersis respectibus, plura et pauciora

peccata adferunt quàm Publicani. Cùm autem ſummè ſeſe humilient publicani, hoc plura peccata adferre dicuntur, quo exactius ea agnoſcunt, & ſub potenti Dei manu humiliantur.

Sic aliquoties in ſcriptis Lutheri occurrit, cùm admonentur cœna Domini communicaturi, ut ad dignam manducationem multa adferant peccata, qua nihil aliud intelligi uoluit, quàm ut ſummam humilitatem adferant, quæ ex uera agnitione peccatorum promanat.

Nullo autem modo ad peccata excitantur ſectanda. Id quod ſycophanta probè nouit. Contrà hyprocritæ eo grauius ſibi manducant iudicium, quo pauciora afferunt peccata, hoc eſt, quo minus ſeſe peccatores eſſe agnoſcunt. Nam hic phariſaicus faſtus Deo ſummè ingratus eſt, qui beneficiũ Chriſti extenuat. Et quod magis παραδοξον eſt, quò plura bona opera pij habent, quibus ex animo ſtudent, eo magis ſuam infirmitatem agnoſcunt, cùm uideant ſe nihil quicquam ea perfectione præſtare, qua exigitur à nobis.

Nihil ergo pugnat, quod additur, ad Gratiam Euchariſtiæ percipiendam opus eſſe fide, & pœnitentia. Fides in Chriſto acquieſcit, per uerbum Euangelij, cuius cognitio nos de peccatis certos reddit, ſicut & pœnitẽtia, ut quo firmius credimus

credimus nobis peccata propter Christum remissa, eo plus intelligamus, cuiusmodi peccatores simus, si sine Christo Deus uitam nostram ad regulam suæ legis & iustitiæ exigat.

Sic etiam non pugnant sequentes duæ assertiones: Sola fides iustificat sine operibus, Et: Non satis est habere fidem sed requiritur etiam charitas. Prior enim assertio loquitur de causa, qua recipitur meritum Christi, propter quod Deus nobis peccata remittit, quod est sola fides, donum Dei in nobis. Posterior autem assertio notatione discernit ueram fidem ab historica falsa & hypocritica fide, quæ impijs cum Dæmonibus est communis. Vera enim fides non potest esse sine charitate. Gal. 5. Iacob. 2.

Sunt igitur eædem & æquipollentes propositiones: Sola fides iustificat. Et: fides quæ cum charitate coniuncta est, iustificat, nec aliud discrimen est, nisi quòd posterior subiectum prioris describit, nullam autem meriti aut causæ rationem adscribit charitati, sicut aliàs copiose explicatum est.

Quòd ait, nos affirmare, quenq; speciali fiducia posse certum esse, utrum sit in gratia Dei uel non, uerissimum est, nisi dicere uelimus fidem esse incertam opinionem de promissionibus Dei, qua

homo dubitare debeat, de earundem ueritate, quod cum Christi & Apostolorum doctrina ex diametro pugnat.

Sed quòd addit: nulla ratione habita charitatis, pœnitentiæ & bonorum operum, partim calumnia est, partim mendacium. Si enim ratione charitatis, pœnitentiæ, & bonorũ operum intelligat meritum, falsum est. Sic enim perpetuo dubitaremus de gratia Dei, si respiciamus in charitatem nostram, quæ perfectioni legis diuinæ non respondet.

Si uero dicat: Nos ita nostros de salute sua certos facere propter Christum, etiamsi nullam pœnitentiam agant, & prorsus nullis bonis operibus studeant, Hoc demum est impudentissimum mendacium. Docent enim q. impœnitentes & qui scelera sectantur, expellant spiritum sanctum, qui est arrabo salutis eorum, qui saluantur, qui etiam ipsorum corda confirmat, quòd sint filij Dei. Rom. 8.

De Iustificatione.

SImiliter & quam de iustificatione adfert Antilogiam uana est, ignorantia pariter & malicia authoris annotata. Cùm enim Philippo adscribat: Eum docere, quòd homo dupliciter

pliciter iustificetur, id uerissimum esse Apostolicæ literæ declarant. Et Iustificationis uocabulum equiuocũ esse, acutus iste Philosophus non potest ignorare.

Hominem iustificari, hoc est, remissionem peccatorum consequi, Deo gratum & acceptum esse, propter obedientiam Christi diuus Apostolus ad Rom. 3. 4. 5. 8. Gal. 2. & 3. Ephe. 2. Iustitia imputatiua.

Hominem, qui per fidem propter obedientiam Christi Deo gratus & acceptus est, donari spiritu Christi, qui sui participatione incipiat peccata purgare, quæ obedientiæ Christi merito tecta erant, non nisi insanus negabit.

Duplicem ergo Iustificationis rationem, sibi inuicem non repugnantem, concedat necesse est, & qua pronuncietur homo iustus propter obedientiam Christi, & qua incipiat per spiritum Christi reipsa etiam iustus fieri, hoc est, regenerari.

Quòd dicit Lutherum scripsisse, hominem in hac uita uerè iustum esse non posse, quòd Christus extra nos sit, argumento est, hunc transfugam mentem Lutheri nunquam intellexisse, aut intelligere uoluisse.

Non enim pugnant, Christum extra nos esse, & in nobis. Idem enim Christus, qui per

fidem corda nostra inhabitat, etiam extra nos est, Cuius obedientiam (extra nos factam, in qua iustificatio nostra consistit, quæ peccatorũ remissione definitur) participamus perfectam, quòd ea nobis imputetur, ita ut in oculis Dei tam perfecti simus propter illam, quàm perfecta est Christi obedientia, cuius meritum nobis perfectum applicatur.

Spiritus autem Christi, etsi in nobis est, ad cuius perfectionem nihil accedere potest, cùm sit ipsa perfectio & absolutissima iusticia, tamẽ cum ea ratione eius participes fiamus, qua in nobis efficax est, quæ energia propter imbecillitatem carnis respectu nostri est imperfecta, adeoq; in hac uita non possumus re ipsa perfectè iusti fieri, siquidem per fidem participatio illa in nobis solum inchoatur, in futuro autem perficietur, quando cum fide omnis imperfectio abolebitur.

Quod addit de nuda relatione, uanissimũ commentum est. Etsi enim fides, quatenus relatio, iustificet, tamẽ hæc relatio non est nuda: nisi dicamus fidem nihil esse, & obedientiam Christi filij Dei quoq; nihil esse, quibus cæsis simul iusticia nostra quæ coram Deo ualet, definitur.

Cùm autem Philippus, quando de iustificatione loquitur, uocabulo iustificationis nihil aliud intelligat, q̃ acceptationẽ personæ & remissionem peccatorum,

peccatorum, quæ nobis contingit propter obedientiam Christi solam, per fidem solam, rectè dicit, quòd ea neq; sit essentia diuina, neq; actio aliqua aut qualitas, sed relatio quæ dicitur fidei in Christum, aut Christi per fidem, quod idem est.

Cum hac iustitia siue iustificatione non pugnat ea de qua Osiander locutus est, qua Deus hominẽ induit, postquàm propter obedientiam Christi consecutus est remissionem peccatorum, & propter obedientiam Christi reputatur iustus, ut etiã reipsa fiat iustus, siquidem in hunc finem peccata remittuntur, propter obedientiã Christi, ut æterna iustitia Dei induamur, sicut & uita eius.

Sed impudentissimum mendacium est quod Osiadro affingit, quasi docuerit, quòd iustificemur, hoc est, remissionem peccatorum habeamus propter essentialem iustitiam Dei, cùm id per sebrim nunquam somniauerit.

Passim enim in libris suis docet & inculcat, nos Deo gratos & acceptos esse, & habere remissionem peccatorum propter solam obedientiã Christi, idq; non sine fide, sed per fidem, quod nos hactenus diximus, & secundum Apostoli mentem constanter defendimus iustificationem.

Cùm igitur hæ duæ rationes Iustificandi diuersæ sint, non contrariæ, aut contradictoriæ, utraq; uera & pia, & quæ simul consistere possunt. Ma

nifestum est Transfugam hoc loco ignorantia equiuocationis uocabuli lapsum, aut quæ est hominis doctrina, si hoc intellexit, malitia mera et animi peruersitate peccasse, nec in hac controuersia de reipsa eam antilogiam fuisse, sicut Transfuga nugatur.

Eiusdem generis mendacium est, quod Osiandro imputat, eum asseruisse, essentialem Iusticiam Dei posse iudicio Dei opponi. Nam in terroribus conscientiæ passim docet Osiander Deo nihil opponendum esse præter obedientiam Christi, quod sexcentis locis demonstrari potest.

Et huic non contrariatur altera sententia: Nullam esse inhærentem iusticiam in homine iustificato, quæ iudicio Dei possit opponi, id quod Osiander non negauerit.

Quæ dissensio est de sensu Apostoli ad Galatas & Rom. 3. 4. nullius impietatis, multo minus hæreseos conuinci potest, cuius tamen acerrimi certaminis hic perfidus Transfuga non postrema causa fuit, & postquam apud pijssimum Principem Borussiæ spe sua excidit, instar Iudæ proditoris agnitam ueritatem Euangelij abiecit & abnegauit, & ad Impietatem Romanæ ecclesiæ defecit nebulo pessimus, ac metuendum est, ne eandem suæ impietatis acceptorus sit mercedem.

De

De diuersis modis iustificandi.

QVod de diuersis modis Iustificandi protulit, suprà demonstratum est, quàm nihil habeat antilogiæ. Etsi enim fides à charitate diuelli non queat, sicut calor & lux in igne non possunt separari, quia naturæ coniunctæ sunt, tamen cùm de iustificatione disputatur tanquam res specie differentes discernuntur. Et quomodo charitas nihil faciat ad iustificationem, quæ acceptatione personæ definitur, suprà demonstratum est. Fides ergo qua infantes iustificantur et adulti, specie & definitione una est.

In Georgium Maiorem impudentissimè mentitur, quòd doceat bona opera facere ad iustificationem, quasi propter opera aut per opera iustificemur, hoc est, Deo grati et accepti fiamus, quod crimen æditis scriptis grauiter confutauit.

Palpabilis calumnia & deprauatio est sententiæ Lutheri, qua Luthero imputat, hominem sine contritione & pœnitentia peruenire posse ad remissionem peccatorum. Hæc enim præcedere necesse est, quando per spiritum Christi corda nostra punguntur, ut peccati magnitudinem agnoscant. Verùm propter hanc contritionem & pœnitentiã nõ contingit nobis remissio, quia imperfecta est, et ipsa quoq; indiget remissione, ne ipsam

quoq; abominetur Dominus, sed propter obedientiam Christi, quæ non alia manu nisi fide apprehenditur, ministerio euangelij oblata.

Ergo hic quoq; nulla contrarietatis species est, cùm dico: Pœnitentia est necessaria ad iustificationem, quòd sine illa non remittantur peccata. Et pœnitentia non est necessaria, quia non propter illam, sed propter obedientiã Christi fit remissio, sicut aliquoties dictum est. hæc rationum & causarum diuersitas considerata contradictionis speciem tollit.

Peccata quõ tollãtur imputatione meriti Christi, hoc est, tegantur: Et non tollantur, hoc est, penitus extirpentur in nobis, suprà demonstratum est, de quo si diuersum contẽdat, experientia ipsa cùm scripturæ testimonijs reclamat.

De offitio hominis iustificati.

IMpudens calumnia est: Lutherum docuisse nos ita liberos esse ab omni legis obseruantia, sicut ipse cauillatur: & est fallacia à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter: quomodo enim liberi simus supra demonstratum est.

Ex his quæ suprà posui de Euangelio, etiam hæc ficta calumnia dilui potest. Nam in narratione Euangelica sunt inserta multa præcepta uitæ & morum

& morum non consilia, & tamen ipsum Euangelium non est præceptum sed promissio læta & grauita de mediatore & bonis per se ipsum nobis acquisitis.

Legem Dei nobis, hoc est, humanis nostris uiribus impossibilem esse Diuus Apostolus ad Rom. 8. testatur.

Docetur autem in nobis impleri per fidem solam qua nobis Christus donatur, qui sua perfecta obedientia pro nobis legem impleuit perfectissimè. Deinde per spiritum suum incipit etiam in nobis implere, uerùm illa impletio in hac uita tantum inchoatur, quòd caro perfectè spiritui subijci non possit.

Est ergo etiam in hoc loco nulla contradictio, cùm asseritur, etiamsi impossibilis nobis, id est, nostris uiribus est impletio legis, nihilominus bona opera facienda esse, quæ Deus præcepit, quæ Deo placent, id est, Deus nostra opera non uult odisse propter imperfectionem in qua fiunt, quia persona placet, id est, habet remissionē peccatorum omnium propter Christi obedientiam.

Sic etiam non pugnant: Deus facit bona opera in nobis: Et, nos oportet inchoare diuinæ legis opera. Est enim diuersitatis ratio in causis: Deus efficiens est, sicut Apostolus inquit. Deus operatur in nobis uelle & perficere. Nihilominus homo

etiam dicitur inchoare, quia eius uoluntas diuinæ uoluntati, à qua mouetur & trahitur, obedit & obsequitur.

Sic uerũ est, iustificatos simul peccatores esse, & iustos: & opera illorũ partim mala partim bona esse. Cùm enim non ita iustificetur homo in hac uita ut peccatum prorsus ex natura nostra euellatur, sicut Apostolus inquit: Scio quòd in me, hoc est, in carne mea non habitet bonum, ea ratione certe adhuc peccatores sumus, quod uocabulum significat accidens, id est, corruptionem in subiecto, hoc est, in natura hominis, qui tamen iustus est, hoc est, Deo acceptus & gratus, propter obedientiam Christi, & quidem perfectè, aliâs Christus esset minister peccati, sicut Paulus inquit.

Sic etiam opera, quæ spiritus Christi per uoluntatem nostram facit, bona sunt & mala diuersis respectibus: bona, respectu spiritus Christi, qui est horum author: mala propter imperfectionem qua fiunt in carne nostra.

De Satisfactione.

NVlla etiam hoc loco est de satisfactione contradictio. Et sicut uerè dicitur, quòd nulla satisfactio sit necessaria pro peccatis, ut olim locuti sunt, aut pro mitiganda pœna temporali, ut Transfuga loquitur, imo etiã impossibilis, si rationẽ meriti spectes, de quo hìc præci-

puè quæritur. Ita non improbant pij & eruditi, quæ cõcilia de satisfactione sobriè sancierũt, nõ ad peccatorũ expiationẽ aut pœnarum mitigationẽ, sed ut Ecclesiæ constet de peccatoris pœnitentia, et eius exemplo alij quoq; à peccatis deterreãtur.

DE MERITO.

INgens discrimen à nostris poni, inter bona opera quæ ex fide fiunt, & mala quæ contra cõscientiam perpetrantur, Transfugæ non est ignotum. Verũ si ad uitæ æternæ meritũ referas, rectè dicitur utrorunq; eundẽ esse respectũ. Sicut enim mala opera non merentur uitã æternã, ita & bona opera cùm sint imperfecta, propter suã imperfectionẽ uitã æternã mereri non possunt. Est ergo hic quoq; maligna deprauatio uerborũ Philippi, & nota in scholis fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, usitatum τοπικὸν Staphyli ad deprauanda rectè dicta.

Quo sensu dicatur: bona opera mereri præmia præsentis & futuræ uitæ, alias dictũ est, uidelicet q; Deus dona sua in nobis coronet, quæ sententia quomodo cũ Papistarũ conflictis meritis cõsentiat, Trãsfuga cõciliet, cui uolupe est ἀντιλογίζεσθαι.

Quòd addit Lutherũ fateri bona opera esse meritoria uitæ æternæ, nõ negare possumus, qui cum hæc & simlia scriberet, nihil minus cogitabat, quàm pontificios errores de doctrina fidei, & bonorum operum taxare.

Si uero non licuit Luthero minus rectè aut inconsideratè dicta retractare & corrigere, quo priuilegio hoc in Augustino commendetur, ipse nobis demonstret.

De quarto statu hominis.

CErtum est, quemadmodum participatione uitæ Dei, quæ æterna est, in æternum uicturi sunt sancti & fideles. Ita iustitiæ quoq; Dei, quæ Deus ipse est, participatione ornatos fore, nemo est qui neget, nisi quis nouum Topicon secundum heteroclitum caput Staphyli statuat. Si enim iustitia Dei essentialis, est Dei natura, D. Petrus autem pronunciet, nos in Christo participes factos diuinæ naturæ, & Paulus dicat, Deum fore omnia in omnibus, quæ insania est, manifestam ueritatem negare?

Atq; hic uidere licet, quò perducat hominem odium personæ Brentij, in qua cum non aliud reprehendere queat, atrox scilicet crimen confingit, quòd in quadam Epistola ad Ducem Vuirtebergensem scribat: Quòd oporteat sanctos indui iustitia quæ Deus ipse est, cuius participatione in æternum in cœlesti patria iusti, beati & fœlices. grande scelus scilicet.

Venit mihi nunc in mentem factum cuiusdam lictoris chartarum, cùm Vuormaciæ Lutherus sanctissimæ

ctißimæ memoriæ Cæsari sisteretur, & re infecta discessum esset, ex decreto & iussu Imperatoris Romani libri à Luthero editi exuruntur. Ad hoc incendium comportantur uarij authores, ut spectaculo seruirent: Carnifex chartarum libros priusquam in ignem conijceret aperiebat, & in specto titulo, ut ab omnibus exaudiri posset, clamabat inter proijciendum, Titus Liuius, Pub. Virgilius. Hoc periculum subire & sustinere oportebat optimos authores, cum deessent Lutheranorum scripta, quæ huic spectaculo satisfacerent.

Eius, quisquis fuerit, uestigia secutus Staphylus, cùm destitueretur speciosis Antilogijs, etiam diuinæ essentiæ iusticiæ, & fælicitati piorum nõ uoluit parcere, ut innocentem traducat, & suo furori satisfaciat.

Horribilem Idolatriam esse, sanctos iam cœlesti patria fruentes interpellare, iam pridem à multis demonstratum est, cùm non possit fieri ex fide, quæ certo Dei mandato & promisso nititur, quorum utroq; destituitur hic cultus, & Dei gloriæ derogat, cùm homo sibi persuadet sanctos nobis magis propicios, quàm ipsum filium Dei, aliâs enim rectà ipsum accederent.

Quòd scribit Lutherum adseruisse nos sanctorũ

meritis iuuari, inter retractationes Augustini recipiamus, quæ si illi non satisfaciunt, constituat sibi æditum, qui pulsu campanæ auribus suis satisfaciat.

De statu animarum post hanc uitam, usq; ad tempus resurrectionis, semper uariæ in Ecclesia fuerunt opiniones. Certum est piorum animas esse in manu Domini, sicut dicit Stephanus. Domine Iesu suscipe spiritum meum. Et Christus Latroni, Hodie eris mecum in Paradiso. Et Paulus: Cupio dissolui & esse cum Christo. De loco autem & qualitate loci, si nobis aliquid definierit Staphylus, magnam gratiam apud eos imbit, qui curiosius quàm par est, ea scrutantur, quæ Deus in hac uita nos uoluit ignorare.

De Christo Iustificante.

CVm dicitur: Christus iustificat nos secundum solam diuinam naturam. Et: Christus iustificat nos secundum solam humanam naturam: Nulla est pugnantia, si ratio causarum consideretur, in quibus est diuersitas, sed nulla contrarietas aut contradictio.

Nam si quæratur, quæ sit causa efficiens iustitiæ nostræ, siue de remissione peccatorum, siue de regeneratione loquamur, fatearis necesse est, solam

solam diuinam naturam esse in Christo, & non humanam, quæ aliam rationem causæ obtinet.

Si autem quæratur de causa instrumentali, dicimus solam humanam naturam in Christo fuisse instrumentalẽ, & hac ratione nostram iusticiam & non diuinam, hæc si negauerit Staphylus, insanus erit.

Cum igitur iusticia nostra definiatur causis, Efficiente, quæ tribuitur naturæ diuinæ soli, cum de Christo quæritur instrumẽtali, respectu Christi, quæ tribuitur humanitati & obedientiæ Christi: formali, fide scilicet qua meritum obedientiæ Christi adprehendimus & nobis applicamus. Nam *sine fide obedientia Christi nihil prodest nobis, fide autem adprehenditur, sicut uerbo & sacramentis applicatur. Etsi hanc quoq; fidem scilicet respectu nostri instrumentalẽ dicere queamus, de qua re non litigabimus, modo de re ipsa constet. Finali: ut participatione Dei in æternum sit beatus & fœlix, ubi noua etiam in hac uita iustificationis ratio oritur, sicut suprà ostendimus. Quis aliquam contradictionis rationem aut speciem cõfinxerit, nisi hanc causarum rationem ignoret, quæ in iustificatione hominis concurrunt, & essentiali serie semper coniunctæ sunt.*

Naturam diuinam impassibilem esse nemo negat, Cum autem dicitur passa, etsi hæc formula

loquendi inusitata est, nam in abstracto loquendo, diuinitas, quæ impassibilis est, non est passa, tamen quia hæc persona, quæ pro nobis facta est victima, non purus homo fuit, sed etiam uerus Deus, si hunc sensum malignè peruertat, & deprauet uerba in explicatione saltem usurpata, non est alienum à natura Staphyli, & quam nullius cauillationis & deprauationis ipsum pudeat, hic locum demonstrat, qui unam uoculam tam auidè in calumniam rapit.

Quicunq; asserunt, humanam naturam absorptam esse in Christo, ita ut unius Christi una sit natura, Eutychianæ Hæreseos rectè damnantur. Sed quid Schwenckfeldius ea de re sentiat, ipse respondere poterit. Ego sane quantum ex eius scriptis ea de re cognoscere potui, semper iudicaui hominem ita inuolutum, ut quid sentiat & dicat ipsemet ignoret. Sed tamen ut Confessionis Augustanæ adiunctos maiore odio grauaret, etiam hic numerum complere cogitur, cum quo eiusq; erroribus sæpe & grauiter à nostris confutatis, sciunt nostris nihil esse commune.

De Sacramentis.

De

DE numero Sacramentorum, quam speciem antilogiæ affert, facilè conciliari potest, si æquiuocatio uocabuli sacramenti explicetur, cuius non est una significatio. Si enim generaliter uocabulo sacramenti utamur pro mysterio, quo Deus aliquid significare uoluit, aut suam præsentiam promisit, septenario numero non continebitur. Quòd si et in hoc genere numeri diuersitas occurrit, facile dijudicatur, si promissiones rebus adiunctæ inter sese conferantur.

Si uero strictè & propriè loquamur de sacramentis, hoc est, signis siue elementis ut scholastici loquuntur, quæ Deus uerbo suo consecrauit, hoc est, separauit in alium usum, ut seruiant dispensationi rerum spiritualium & cœlestium, quibus Deus ueritatem promissionum suarum obsignat, & fidem nostram confirmat, duo tantum sacramenta ab omnibus nostris pastoribus unanimi consensu numerantur: sacramenti autem ratio seu definitio una est, etsi finibus differant.

Hæc si Staphylus intelligit, quæ de contradictionis specie adfert, in sacramentorum numero explicando, ijs desinet nobis molestus esse in postorum.

Qua ratione Sacramenta, hoc est, Deus ipse conferat gratiam per sacramentorum dispensationem, si uera fide percipiantur, infrà demonstra-

bimus, cum ad ea respondebimus, quæ de singulis Sacramentis affert.

De Baptismo.

QVid sentiat Lutherus, & qui doctrinam profitentur, per ipsum ex Prophetici & Apostolicis scriptis traditam, omnibus constat. Videlicet, Aquam Baptismi non esse nudum signum, quo res absens significetur, sed organum & instrumentum diuinitus traditum & consecratum, ut seruat dispensationi bonorum, quæ in sanguine Christi distribuuntur, quo baptisati sint aspersi & loti, & à peccatis mundati, si uera fide percipiant, quæ in Sacramentis ad salutem percipiendam necessario requiruntur.

Quaproqter omnes uident uanum esse quod hic Staphylus tanquam Antilogon adfert. Quisq; enim suorum uerborum est interpres, non Sycophanta Staphylus peruerso & deprauato suo iudicio.

Quomodo non pugnent asserere, quòd peccata remaneant in renatis: Et quòd peccata omnia remittantur, supra indicatum est, Remittuntur enim non ut non sint, sed ut non imputentur.

De fide infantum aliás copiosè dictum est, quum Deo placeant, quod extra Christum (quem fide

fide apprehendimus) fieri nequit, quòd habeant propriam fidem, quæ est habilitas in homine diuinitus donata, qua possit applicari gratia in Sacramento oblata.

Sicut ergo satius est Sacramentis carere, quàm ad iudicium & in testimonium percipere, nihil in infantibus consultum esset, si baptisarentur, hoc est, gratia Dei offerretur, cuius non possent fieri participes.

Quocunq; igitur nomine habilitatem appellet, qua possunt oblatam gratiam accipere, non litigatur. Nos fidem esse dicimus pro modo ætatis ipsorum & sapientiæ diuinæ imperscrutabilis, siquidem sine fide impossibile est placere Deo.

Etsi uero hæc fides perspici non potest, tamen cum infantes in fœdere censeantur, ex mandato Christi baptisantur, qui ipsorum loco spopondit, & pronunciauit quòd ipsorum sit regnum cœlorum.

Ita enim & cum adultis necesse est agere, de quorum cordibus iudicare non possumus, sed confessione facta professio ipsorum baptismatis aquæ obsignantur, cum decipi queant & decipere.

De Confirmatione.

Confirmatio cur non sacramentorum nomine comprehendatur, apud nostros, supra de sacramentorum numero dictum est. Eius loco si Catechismus in Papisticis ecclesijs cum summo detrimento iuuentutis collapsus restitueretur, rectius saluti eorum consuleretur, quàm hoc ridiculo, puerili & Magico spectaculo,

De Eucharistia.

Papistarum tres principales sunt assertiones de cœna Domini.

Prima, q. ex substantia panis & uini mussitatione sacrificuli conficiatur corpus & sanguis Christi.

Secunda, quòd à Laicis una pars sacramenti sumenda sit, duæ autem solummodo à sacrificulis unctis & rasis.

Postrema, quòd in cœtu fidelium offerantur Deo patri pro uiuis & defunctis, & ad redemptionem animarum ex purgatorio.

His tribus propositionibus, ita fascinatus fuit totus mundus, ut nemo quicquam contra hiscere auderet.

Cum autem non fuerit aliud horribilius Idolũ Ecclesiæ Christi propinatum adorandum, donec crueretur ex ipsorum sordibus ueritas, uarijs modis cœpit expugnari. Quòd

Quòd igitur uariarunt sententiæ, magis Papistarum tribuendum est impietati, qui nobis hoc sacramentum horribiliter prophanarunt, & involuerunt, licebit etiam dicere secundum Gelasium, sacrilegio abstulerunt, quàm eorum diligentiæ, qui studio ueritatis eruendæ interdum lapsi sunt.

Vtcunq; autem tumultuetur Staphylus, fateatur tamen necesse est, in his partibus omnium fidelium constare consensum, contra Papistarum Idolatriam siue ἀρτολατρίαν.

1. Duabus rebus sacramenti substantiam definiri, terrestri pane & uino, & cœlesti corpore & sanguine Christi.

2. Deinde sicut panis & uinum sunt realis, uerus ac solidus cibus & potus ad sustentationem caducæ & interituræ uitæ necessaria. Ita carnem quoque & sanguinem Christi esse realem, uerum ac solidum cibum ac potum æternæ uitæ, quæ per fidem in nobis inchoata est.

3. Quòd ueræ carnis & sanguinis Christi dispensatio fiat in cœna Domini, cui dispensationi seruiunt panis & uinum sacramenti.

4. Quia uero hæc non intelliguntur, sed creduntur, quæcunq; de modo litigantur, ad te tuiq; ordinis homines nihil pertinere scias.

5. Exquisitionis autem huius causa est potissima,

ne rudiores relabantur in ueterē ἀρτολατρείαν à ueſtris prædicatam.

Ac certo tibi perſuadeas fideles & electos, de multis contentionibus non multum ſollicitos eſſe, poſtquam corde credunt & ore fatentur, quòd non nuda ſigna aut Symbola ſed ipſa ueritas offeratur cum Symbolis corpus ſcilicet et ſanguis Chriſti. Siquidem panis & uinum quæ corporis ſeruiunt ſuſtentationi, uitam Dei in nobis non fouent, ad cuius ſuſtentationem non fictitius, ſed uerus, ſolidus & realis cibus requiritur, uerè ac ſubſtantialiter præſens.

Quòd ſi uero ſunt, de quibus non eſt omnium æquabilis conſenſus, num propterea ueritatem prohibebis in qua piè conſentiunt?

Non ut opinor tibi arrogabis Staphyle, ut omnium fidelium cogitationibus imperes, qui nō poſſunt eſſe ſine imaginatione aliqua, præſertim in rebus diuinis, quæ creduntur, non intelliguntur.

Licet inter eos, qui cum uerè & indubitanter credant uerum corpus & uerum ſanguinem Chriſti in Cœna dominica diſpenſari: Alij ſibi fingunt, neſcio quod minutum corpuſculum latitare uel in pane, uel ſub pane, uel cum pane. Alij Chriſtum eminus collocant, quarum imaginationum neutra uerbo Chriſti exprimitur. Sed quis imperabit omnium animis, ut ſine imginatione aliqua eſſe poſſint?

Nos utrunq; repudiamus, & quemadmodum confessio Augustana habet, corde credimus et ore fatemur uere sicut uerbum Christi sonat, in cœna adesse & distribui uerum corpus Christi, quod pro nobis pependit in cruce, & sanguinem Christi qui in cruce effusus est pro multis in remissionem peccatorum. Et admonemus rudiores ut suis cogitationibus in Mysterijs fidei imperitent, neq; eis indulgeant.

Qui ad hanc ueram & germanam de Sacramento sententiam accedunt, horum pia simplicitas Deo probatur, qui uero suas cogitationes & imaginationes acriter & contentiose propugnãt, eos relegabimus ad uanas & nugatorias uestrorum scholasticorum disputationes, Quas cum omnes conciliauerit acutus hic Philosopho Theologus, agemus etiam quod in nobis est cum illis, ut suas imaginationes abijciant.

Et hæc quidem de substantia Cœnæ Domini, et de præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna, cuius modum scriptura non nisi in uirtute uerbi Christi definiuit.

Quando dicitur: Panem Cœnæ transelementari, & panem Cœnæ nõ transelementari, nihil pugnant. Et non ignota est phrasis Patrum, quo sensu accipi uelint uerba, quæ in explicatione

huius Mysterij usurpant, conuertere, transmutare, transsubstantiari & transelementari, uidelicet, ut unionem sacramentalem explicent siue inculcent, ne nuda signa & symbola Ecclesiæ Christi offerri credant.

Eucharistiam extra usum non esse Sacramentum, uerbo Domini edocti affirmamus. Christus enim uoluit hunc panem seruire dispensationi corporis sui, cùm inquit, Accipite, comedite, cessante hac distributione, non satisfit institutioni Christi, ex qua pendent omnia, quapropter extra hic usum, sicut & Baptismi aquam, nullam Sacramenti rationem habet.

Negari non potest, quòd quidam affirment, Iudam & Impios non manducare corpus Christi, quia Sacramenti ueritatem Energia definiunt sola, non οὐσίαν, cui inest uiuificandi energia, quam certum est Impios non participare. Sed quoniam carni Christi inest etiam facultas iudicandi, et impij dicantur manducare iudicium, quomodo sacramentaliter corpore Christi non communicent nõ uideo. Etsi enim Christum respuunt saluatorem, tamen nolint uelint, non possunt repellere iudicem, quorum utroq; iudicium definitur, quod sibi manducant Impij.

Nulla contradictio est etiam in sequenti, quam ponit antilogia, Quòd sub una specie corpus & sangui

sanguis Christi participetur: Et quòd non rectè sub una specie participetur.

Etsi enim totus Christus, cum panis distribuitur, sese manducandum exhibet, non enim frustulatim corpus, & guttatim sangu nem suum dispensat, tamen cum institutio Christi uiolatur & laceratur, nihil minus fit, quàm ueri corporis Christi dispensatio, sed seruitur humanæ institutioni, quæ diuinam ordinationem euertit & aboleuit.

De necessitate huius Sacramenti dicitur, sicut & de alijs, Necesse est institutiom Christi obedire. Si autem non nostra culpa, sed necessitate priuamur cœna, rectè dicitur quòd sola fides sit necessaria, sicut necessarius est Baptismus, quia Christus præcepit. Non tamen adeo necessarius, cum sancti Martyres ad Supplicium rapiebantur, qui per fidem saluati sunt, quæ simpliciter est necessaria. Nam sine fide nemo potest saluari, sed sine sacramentis salutem contigisse multis, tam diximus, ubi nullus accessit contemptus, Aliàs qui Sacramentũ contemnit, ut Augustinus loquitur, etiam gratia Sacramenti priuatur.

Quod de adoratione Sacramenti asserit, horribilis est ἀρτολατρία. Etsi enim excusare possemus quod de externo gestu loquitur Lutherus, ut cum debita reuerentia ad Sacramentum Domini accedamus, tamen nota est impietas, qua

contra institutionem homines super genua prouoluti pani diuinum honorem exhibent, cui non solum inclusum Corpus Christi dicatur, sed in corpus Christi essentialiter & realiter transmutatum, aut ut magis dilucidè & perspicuè loquar, ex eo factum esse dicitur.

De præparatione ad Sacramentum.

NVlla etiam hìc est pugnantia, si cauillationem tollas, cum asseritur pernitiosum esse errorem, si quis hac fiducia accedat ad Cœnam Domini, quia confessus sit, & quia sibi non sit conscius alicuius mortalis peccati &c. & quemo accedere debeat, nisi prius fuerit dispositus.

Non enim culpatur pia peccatorum confessio, quæ fit Deo, aut in libertate Christiana Ecclesiæ Ministro, pœnitentia, preces & alia pia exercitia, sed opinio reprehenditur, qua homines in Papatu persuasi sunt, & multi adhuc docentur, non nisi illos dignè manducaturos, qui sint ab omnibus peccatis puri. Hæc opinio pugnat cum uera & Christiana humilitate, quæ agnoscit summam infirmitatem in nobis esse, nec accedit pharisaico fastu. Sed præparatio ac dispositio uera in eo magna ex parte consistit, ut intelligant sese maximos peccatores & indignissimos esse cœna, & omnem salutis

salutis rationem in Christo collocent, cuius carnē in hac humilitate per fidem accipiunt, cum proposito pie ac recte in posterum uiuendi.

De Missa.

IN hac Antilogia conceditur, quòd non solum Lutherus cum Philippo, sed secum ipse pugnet.

Nam aliquoties dictum est Lutherum ab initio sese Tezelij assertionibus de indulgentijs Pontificijs opposuisse, quo tempore illi nihil minus proposuit erat, quam idolum hoc pontificiam Missam taxare uel abrogare.

Reijcimus ergo hoc quoq; in Retractationes Augustini, quod Luthero non poterit uicio uerti, nisi idem quoq; in D. Augustino culpare uelint.

Vnanimiter autem de Missa Papistica docetur quòd non sit bonum opus, nec sacrificium, sed horribile Idolum, contumeliosum in sanguinem Domini nostri Iesu Christi.

Corpus enim & sanguis Christi dupliciter considerantur. Primo tanquam uictima & sacrificiū, idq; nō nisi in cruce, quo satisfactū est iræ Dei, & expiata totius mundi peccata. Heb. 7. 9. 10.

Deinde tanquam cibus & potus idq; in Cœna, quam appellamus dominicam, in qua suum uerum corpus exhibet manducandum, & sanguinem suum bibendum.

Qui igitur Ecclesiæ pro κοινωνίᾳ corporis & sanguinis Christi spectaculum Missæ obtrudunt, institutionem Christi inuertunt, & populum suo iure priuant, quod in communione cœnæ habent.

De Pœnitentia.

QVomodo pœnitentia dici & non dici possit Sacramentum, suprà demõstrauimus, ubi de Sacramentorum numero quædam annotata sunt.

De partibus pœnitentiæ nulla est cõtradictio, diuersis enim rationibus, uel una, uel duæ, uel tres pœnitentiæ partes numerari possunt. Si pœnitentiæ uocabulum pro tota conuersione hominis sumatur, qua tota uita Christiani hominis intelligitur, tribus partibus rectè definitur. Nam in tota uita nostra requiritur peccatorum cognitio, quandoquidem quotidie peccamus: Fides, siquidem Deo placere uolumus: Propositum rectè uiuendi: nec spiritum Christi expellamus, qui datus est nobis propter filium.

Si uero displicentia peccatorum definiatur, ex ore Christi una parte rectè definieris, Pœnitentiam agite & credite Euangelio. Si uero pro conuersione hominis intelligatur, qua homo ad Deum conuertitur, nec includatur sequens uitæ ratio, qua homo Deo placens propter filium, postquam pœniten-

pœnitentiam egerit, rectè duæ partes pœnitentiæ statuuntur. Eat nunc Staphylus, & de Antilogia in hac parte doctrinæ nostræ apud suos glorietur.

De Contritione.

DVplex est Contritionis consideratio, In fide, & extra fidem facta. Ea quæ sine fide fit, sicut Lutherus loquitur, peccatum est, iuxta illud: Quod non ex Fide est, peccatum est. Quæ autem in fide fit, nec illa suo merito delet peccatum, siquidem non dolemus quantum peccauimus, sed placet tamen Deo, quia fit in fide, hoc est, ab homine de gratia Dei non desperante, & qui in merito Christi acquiescit.

De Confessione.

NOn pugnant Lutheri & Philippi sententiæ de Confessione. Philippus enim de peccatorum enumeratione loquitur, quæ iuxta præcepta Decalogi fit in genere, [illegible] quenquam ea peccata, quibus quilibet e[illegible] ius, secundum omnes circumstantias e[illegible]

Lutherus autem de ea peccato[illegible] tione loquitur, quæ in Papatu usi[illegible]

[illegible] de [illegible] tratum [illegible] tilogias [illegible] one.

mandato Dei extorquetur peccatoribus, secundũ omnes facti circumstantias, omnia peccata, quorum homo meminisse, sacrificulo in aures insusurrare, ut merito huius confeßionis coram sacrificulo factæ peccata remittantur. Hanc constanter & unanimiter omnes asserimus miserrimam carnificinam conscientiarum & doctrinam desperationis esse.

De Satisfactione.

Similiter & de satisfactione conficta est Antilogia. Nulla enim est satisfactio siue pro culpa, siue pro pœna, præter meritum Domini nostri Iesu Christi, sicut testimonijs Propheticis & Apostolicis comprobatum est.

Satisfactio autem, quæ in primitiua Ecclesia peccatoribus imponebatur, ea neq; pro culpa, neq; pro pœna, sed Ecclesiæ tantum satisfiebat, ut eius exemplo Ecclesia ædificetur, quæ publicis & enormibus ipsius peccatis offensa est.

e Sacramento ordinis.

ore Chri
am agite
uersione hoc
conuertitur
qua homo Deo

il prorsus pugnant quæ de Sacerdotio
nuntur. Etsi enim dicatur nullum esse
uisibile & externum sacerdotium,

quale

quale Papistæ confinxerunt, tamen ordini à Christo institutio nihil derogatur. Necessarium est per idoneas & certas personas populus instruitur: nec ministerium docendi quibuslibet committendum est. Sed quòd asserunt, non nisi eos, et unctos, & alijs cæremonijs non necessarijs insignatos pro sacerdotibus, hoc est, Ecclesiæ ministris agnoscendos esse, hoc demum est nouum & Papisticum, & in primitiua Ecclesia inauditum commentum.

Et rectè dicitur, quòd in necessitate omnes homines sint sacerdotes, qui soluere & ligare possint, siquidem soluere nihil aliud est, quàm afflictis conscientijs remissionem peccatorum annunciare, quæ Idiotæ concio si fide recipiatur, homo uerè absolutus est, & remissionem peccatorum habet.

De Matrimonio.

MAtrimonium quomodo possit Sacramentum dici, & non dici supra in capite de Sacramentorum numero demonstratum est, frustra ergo hoc titulo, libri sui Antilogias auxit Staphylus.

De extrema unctione.

ANtilogiam de extrema unctione reijcimus inter Retractationes Augustini & sanctißimæ memoriæ Lutheri.

De Ecclesia.

ECclesia quomodo uisibilis sit & inuisibilis, sæpè explicatum est, & species Antilogiæ tollitur, si æquiuocatio uocabuli Ecclesiæ explicetur. Ecclesia enim aliàs significat cœtum, qui audit uerbum Dei, & utitur Sacramentis, qui cœtus sanè est uisibilis. Sicut autem non omnes sunt semen Israel, qui sunt ex Israel, ita non omnes sunt ueræ Ecclesiæ, ideſt, uiua membra Ecclesiæ, qui sunt in hoc externo cœtu. Hoc est signum, inquit Apostolus, Deus nouit qui sint sui. Hi soli cùm Deo noti sint non omnibus hominibus, ideoq; uera Ecclesia Christi inuisibilis dicitur, & sola fide perceptibilis, de qua ex uerbo Domini iudicat, quod ore & uita profitetur.

Nec pugnant: Ecclesiam non esse alligatam ordinariæ successioni. Et, Ecclesiam esse catholicam & errare non posse.

Nemo piorum dubitat Ecclesiam esse catholicam, hoc est, dispersam in toto orbe terrarum, sed per spiritum sanctum in unitatem fidei congregatam. Ac tantum abest, ut pugnent suprà posita,

ut

ut posterius prioris ratio aliqua uideatur esse. Quia enim Ecclesia non errat, Ideo rectè dicitur, non alligatam esse ordinariæ successioni: qui enim in sanctorum locum successerunt, multorum erroruꝫ conuicti sunt, sicut historiæ testantur. Quapropter non successioni, sed Verbo Domini alligata est Ecclesia, quæ uocem audit eius, qui ex uerbo Domini concionatur, & doctrinã resipuit, etiamsi quis Apostolis dicatur successisse, sicut dicitur: Si Angelus è cœlo aliud Euangelium annunciauerit, quàm quod annunciatum est, anathema sit.

De potestate Ecclesiæ.

QVòd Ecclesiæ sit sua potestas: Et quòd Ecclesia non habeat potestatem condendi articulos fidei, sicut Pontificij iactitant, non pugnant. Prior enim propositio Ecclesiæ definitam, & suis certis terminis descriptam potestatẽ, posterior autem absolutã tribuit. Sicut igitur illa probatur uerbo Domini consentanea, ita hæc iure reprehenditur, cuius prætextu non tantum plurimi errores in Ecclesiam sunt inuecti, sed Romani pontifices hoc freti summam in Ecclesia Tyrannidem exercuerunt. Tu, si potes, contradictionẽ proba, præter illam quam toties inter Retractationes Augustini numerauimus.

Esse etiam suos lapsus fidelium nemo negabit, sed propterea Ecclesia Titulo non sunt indigni, cum in fundamento quod positum est, maneant. Vtcunq; ligna & stipulæ exurantur igni, ipsi tamen salui fiant.

De Traditionibus Ecclesiæ.

QVomodo Ecclesiæ permissum sit canones condere, qui uerbo Domini non repugnent, in præcedenti capite ostendimus.

Non ergo pugnant cum dicitur: Non esse in potestate Ecclesiæ statuere articulos seu canones fidei. Item, In potestate Ecclesiæ esse, ponere Canones ut dirigant populum. Articuli enim fidei non sunt ab Ecclesia conditi, sed in uerbo Domini propositi, qui sæpe & in multis Canonibus repetuntur. Canones autem Ecclesiæ & Patrum ad dirigendum populum plerumq; moribus seruiunt, qui in administratione Ecclesiæ propter uarietatem casuum necessarij sunt: utrunq; in scriptura comprehensum est, aut implicitè ut scholastici loquuntur, aut explicitè.

De Virginitate & castitate.

Quod

QVod in prima parte Antilogiæ ponit Cœlibatum & uirginitatem à nostris dici nugas, & mera Sathanæ mendacia, manifesta & uirulenta calumnia est, & nota sophistica, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Virginitatem enim & castitatem dona Dei esse nostri prædicant, & quibus datum est capere uerbum hoc, bene facere, ut sic maneant.

Sed quæ Papistæ de horum meritis coram Deo prædicarunt, recte nugas appellant, & mera Sathanæ mendacia.

Nam hoc uitæ genus non sine maxima contumelia, in Deum & sacrosanctum Matrimonium ab ipso institutum prædicarunt, præsertim cum suos sacrificulos à matrimonio arcent his rationibus, Sancti, inquiunt, estote, quoniam sanctus sum ego. Et iterum, Qui in carne sunt Deo placere non possunt. Ergo sacerdotibus non licet ducere uxorem. Quis ais Sycophanta? (Horum enim doctrinam susceptisti propugnandam, qui hæc suis decretis assuerunt) Num omnes coniugati tibi prophani uidentur, & à sanctitate alieni, quòd in matrimonio uiuant? Num tibi hoc uitæ genus à Deo institutum uidetur pollutum? Arbitraris ne coniugatos Deo non placere? & in Matrimonio uiuere idè fit, quod in carne uiuere?

His rationibus cùm tui impurum cœlibatum & fictam aut saltem coactam uirginitatem commendauerint, rectè hæc doctrina Sathanica & dæmoniaca dicitur.

Hæc doctrina non pugnat cum posteriore parte fictæ antilogiæ: Quòd sacrilegium sit castitatem polluere.

Testantur autem horribiles & nefandæ libidines passim in omnibus collegijs, quam fenestram horrendis sceleribus aperuerint, hoc suo impio de cœlibatu decreto, quod certo ordini hominum imposuerunt, sine mandato Dei.

Nulla ergo hîc quoq; apparet contrarietas, quam malus ac deploratus homo studio cauillandi posuit.

De Potestate ciuili.

VT in summum odium summi Magistratus nos adduceret Sycophanta, non ueretur nostris imputare, cuius scit sui ordinis homines reos esse.

Notum est toti orbi, quomodo per Euangelij doctrinam dignitas politici ordinis restituta sit, quæ sub Papatu miserè obscurata erat, adeo ut principes uiri, utcũq; diligenter suo officio functi essent de salute sua æterna propemodũ desperarẽt, nisi

niſi ſanctitatis impuriſſimorum Monachorum & cucullarum ſeſe participes fecerint.

Nos contrà docemus, Magiſtratum ciuilem eſſe uitæ genus à Deo inſtitutum. Et ipſorum iudicia Deo grata eſſe, ſi ſecundum leges fiant. Eis obediendũ eſſe in his, quæ cum uerbo Dei non pugnãt, Et ferenda eſſe patienter, quæ etiam iniuſta imponuntur onera.

Sunt igitur, ſicut ſuprà quoq; dictum eſt, meræ fallaciæ à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter.

Inter Chriſtianos enim, quatenus Chriſtiani, nulla eſt ſuperioritas, ſed quia inter Chriſtianos Deus uoluit eſſe gradus propter ciuilem uitam, ideo hæc Chriſtianorũ Aequalitas, quæ aſſeritur, politico Magiſtratui nihil detrahit.

Sic quæ de uitijs Principũ dixit aut ſcripſit Lutherus, nulla ſunt conuitia, ſed commonefactiones ad pœnitentiã, quibus ſi parcunt adulatores pontificij, ipſi uiderint, quomodo Deo ſint reddituri rationem, canes muti, & uitæ adeo impuræ, ut qua fronte uel ſaltem mediocriter lapſos reprehendere queant, neſciant.

Quòd ait Lutheranos aſſerere, omnes leges hominum abolendas, & ſolummodo ſecundum Euangelium omnia iudicanda & regenda, putidum mendacium eſt.

Quaratione improbet & prorsus inutilem iu
dicet contributionem & expeditionẽ aduersus cõ
munem Christiani nominis hostẽ Turcã, nisi Prin
cipes ipsi quoq; ueræ pietati studeãt, et subditorũ
pœnitentia ira Dei mitigetur, cuius flagellũ agno
scimus esse Turcã, eius explicatio docet. Adhæc sic
ut ipsemet Lutherus in retractatiõe huius artic
uli testatur, dũ hæc scriberet, ita obscurata erat po
litici ordinis dignitas, ut nõ pauci dubitarent num an
esset uitæ genus Deo placens, cũ ex Magistratibus
quidã falso persuasi omni magistratu tanquã pro
phano munere se abdicarent, & monasteriũ in
greßi, sese nunc demũ Deo seruire arbitrabãtur,
postquã mundanis rebus (sic enim appellabãt ma
gistratus officia) ualedixerint. Quid mirũ sit tale
de Magistratu scripserit, q quid magistratus esset
prorsus ignorauit. Hæc in quarto Tomo operũ Lu
theri uidere potest Staphylus. Nõ enim dubito hu
ius sanctißimi uiri librorũ lectione plurimũ delec
tari Transfugã. Desinat ergo Sycophanta tam ui
rulẽtis mendacijs & calumnijs contra nos agere.

De legibus humanis.

QVo sensu dicat Lutherus Christianũ hemi
nem nullis legibus teneri, aliàs dictum est.
Hæc libertas nihil derogat legibus huma
nis, quibus sese subijciunt nõ tantũ propter timo
rem, sed etiam propter conscientiam.

Quod

Quod dicit nullã Rempub. fæliciter gubernatam esse legibus, nõ ipsas Leges accusat, sed homines, quorũ animi nisi pietate pertrahãtur ad faciẽdum officiũ, leges longè infirmiores, quàm ut hoc præstare queant. Sycophantia igitur est, rectè dicta deprauare, & in alienũ sensum detorquere.

Qua ratione liceat resistere Turcis et qua ratione non liceat, ex sententia Lutheri suprà ostendimus, eô ergo & hanc calumniam reijciamus.

Omnia enim argumẽta quibus Lutherus dissuadet bellũ aduersus Turcam huc recidũt in summa, frustra ad arma & alia præsidia confugere Principes & populos, si id fiat sine pœnitẽtia, sed satius esse, et minus periculi habere, pœnitẽtiã agere, & pœnã quæ à Domino infligitur sustinere, quã in flagitijs & impœnitẽtia perseuerare, et Deo puniẽti resistere, quod sit aduersus stimulũ recalcitrare.

De fructu Quinti Euangelij.

VNum Euangelium esse quatuor Euangelistarum non ignorat Transfuga, Qui nostram doctrinam Quintũ Euangelium appellat, Conuitium est non in nostras personas, sed sacrosanctũ ipsius Dei nomen, cuius uerbũ in propheticis et Apostolicis scriptis descriptũ profitemur. Liceret hoc conuiciũ regerere in ipsorũ decreta, quæ uetustas prorsus ignorauit, sed sanctis

aſſentatoribus Romani Pontificis *parcendũ eſt.*

Quòd Lutherus affirmat, ex Euangelio ſuo (quod Dei eſt) homines multo deteriores fãctos eſſe, quàm unquã antea fuerint in Papatu, ſi maximẽ negare uellemus, tamen ipſa experientia reclamat. Id quod uidere eſt, partim in ijs qui Euangelium perſequuntur, partim in ijs, qui Euangelij doctrina abutuntur.

Inuenias in Papatu honeſtos uiros & matronas, qui ante lucem Euangelij exortam ſtudio cultus Dei ualde celebrabantur, ſed poſtquàm doctrina Euangelij reuelata eſt, de gratuita remiſſione peccatorum propter Mediatorem Chriſtum per fidem, qua ipſorum meritis detrahi uidebant, prodiderunt hypocriſin fuiſſe & meram ſimulationẽ cultus Dei, nullam prorſus pietatem. Non enim in errore ſolum perſeuerant, qui ſua natura malus, ſed etiam bonum oderunt & perſequuntur. Vnde manifeſtũ eſt eiuſmodi homines deteriores fãctos.

Ita & qui libertate in Euangelio tradita abutũtur ad libertatem carnis & laſciuiam, deteriores fieri nemo negat.

De culpa nunc quæritur, quam Transfuga deprauando ſententiam Lutheri Euangelio tribuit, cùm ſciat cauſam eſſe malitiam & peruerſitatem hominum. Et nota eſt fallacia accidentis. Sicut uinum per ſe non eſt cauſa ebrietatis, non enim omnes qui

nes qui uino utuntur, inebriantur, sed abusus, hoc est, immodicus uini usus, ita & Euangelium non est causa peccatorum & calamitatum, sed uera causa est ingratitudo mundi, & peruersitas hominum. Pudeat igitur Transfugam harum cauillationum, de quibus sciat se grauissimam Deo reddituum rationem.

De bonis Ecclesiæ.

ADmodum callidè, *quasi per præteritionẽ quædam de bonorum* Ecclesiasticorum *dissipatione commemorauit. Cùm enim neq; negare, neq; excusare possit quòd bona* Ecclesiastica *falso dictitati Episcopi & Clerici ad summum* Luxum *conferant, quæ ministerio* Ecclesiæ *non* Luxui *dedicata sunt, ideo in hac parte etiam cum nostris parcius sibi agendum putauit. Nos de illorum* Simonia *toti orbi nota nihil dicemus, qua beneficia* Ecclesiastica *quibus possunt artibus ad se rapiunt, nulla* Ecclesiarum *ratione habita, quibus præficiunt & indoctos et impuros, qui rudem populum in uera doctrina instituere non possunt, sed exemplo & impurissimis moribus destruunt, modo mystificare queant.*

De *nostris autem hoc affirmamus, quòd legitimam cognitionem nunquam defugerint, sed ad reddendam rationem sese semper promptos ob-*

tulerint, ut omnibus constet, quàm non prophanauerint Ecclesiæ dedicata bona.

Sed esto, quòd aliquam partem bonorum ipsum priuatum conuulerint usum, tamen certum est, minus apud hos prophanata esse, quàm apud uestros mitratos Episcopos. Ecclesiarum & pios & eruditos Ministros procul curarunt, per illos qui de doctrina uera recte iudicare possunt. Scholas constituerunt, quæ uestris regnantibus iacebant. Nec pauperibus uiduis & pupillis defuit, quod ad uictum & amictum pertinet, quorum curam Dominus Ecclesiæ suæ diligenter commendauit.

Apud Papistas uero, si optimè collocentur Ecclesiæ bona, seruiunt summæ impietati, hoc est, impuro cultui Dei, quem illi in capite omnis Idolatriæ ponunt, Missæ Papisticæ. Quæ cum sit horribilis prophanatio Cœnæ Dominicæ, minus peccarunt Sacrificuli, si, quod solent plerique omnes, cum scortillis suis conjunxerint, & ab impuro sacro uacarint. Si uero ad libidinosam & scelestam uitam accedat etiam ueri Dei cultus prophanatio, quis non uidet maiores Ecclesiasticorum bonorum prophanatores, & dilapidatores non esse ipsis Papisticis sacrificulis, & monachorum colluuie.

Nos nostris sedulò hortatores esse uolumus,

ne quod

ne quod ad cultum Dei datum & consecratũ est, prophanent. Et optimè collocatum sciant, si Ecclesiæ & scholæ rectè constituantur, & pauperum ratio habeatur.

Hactenus de Materia præsentium controuersiarum, ubi apertè demonstratum opinor, longe aliter sese habere, quàm hic Staphylus docet. De pietate non pugnare, quæ Transfuga inter suas Antilogias retulit (ut suis contra manifestam & agnitam ueritatem ad defendendos tetros errores aduletur) ex his quæ breuiter annotata sunt intellecturos spero, de quibus omnibus Augustanæ Confessioni sua constat ueritas & certitudo, etiamsi quotidie nouæ dissensiones exoriuntur, quas omnes cauere nemo potest. Eis uero qui potest, modum ponat. Nos ueritati studeamus, Dominum inuocemus, ut offendicula tollat, charitatem & mansuetudinem declaremus erga errantes, quæ mitigari & tolli non possunt operа nostra, Deus pro sua bonitate erga Ecclesiam moderabitur, quo minus noceant.

De Tertia parte Libri Staphyli.

De successione & concordia discipulorum Lutheri in Augustana Confessione.

Videbar iam functus meo officio, nec opus esse ut ad hanc tertiam partem commenti Staphyli aliquid respondeam. Postquàm enim supra demonstrauimus in capite de materia præsentiũ controuersiarum, confictas esse magna ex parte, quas Staphylus annotauit Antilogias: pleriq; facile iudicare possunt, etiam inania & ficta nomina esse pleraq;, quæ ονοματοποιητὴς recensuit. Sed quoniam etiam in hac parte occurrunt, quæ silentio præteriri non possunt, ad ea quoq; breuiter respondebimus.

Vt consensum nostrum traducat Trãsfuga, Epicureis Lutheranos confert, qui cùm domi disputarunt nullos esse Deos, foris tamen publicas aras illis consecrabant. Sic ὁμολογιὰς (uocat Confessioni Augustanæ adhærentes) domi suæ Confessionis certitudinem nullam relinquere, cùm eandem

tamen

tamen sic propugnent foris, quasi rem serio agãt, atq; ita aliud domi sedendo, & aliud foris stando agere.

Hic status est libelli Staphyli, ut suis persuadeat, nullam esse confessionis Augustanæ certitudinem, quo minus aliqui ex suis ad hanc accedant, de cuius ueritate in conscientia conuicti sunt. Sed quàm uanum hoc sit Staphyli commentum, supra in explicatione Antilogiarum demonstrauimus.

Nam in hac parte tertia tantum de nominibus agitur, quæ transfuga recens finxit. Ea concident pleraq;, si, quæ supra de rebus ipsis annotauimus, comprobatum fuerit, non pugnare.

Deinde institutoipsius seruire cogitur Apocalypsi, qua tanquam Delphico gladio ad quæuis somnia comprobanda utuntur, cuius ueritas si constabit hoc loco, qua ratione sese defendent, qui multo aliter hunc locum interpretantur de Dracone & septicipite bestia, ex cuius ore opinione transfugæ prodierunt tres immundi spiritus Omologistæ, sacramentarij, & Anabaptistæ.

Multo rectius illi, qui hunc librum ad suum authorem reijciunt, & post reuelatum Euangelium obscuras Prophetias non requirunt.

Non minus ἄτοπον est, quod de aqua, sanguine & spiritu ex Canonica Ioannis producit, ut in-

terpretatio huius Prophetiæ constet, quam Apocalypsi affinxit.

De Anabaptistis.

DE Anabaptistarum erroribus, cum omnes ordines imperij consentiant, non uideo cur in hunc libellum Staphylus coruncatalogum referre uoluerit. Horum errores tamen abest, ut nostris imputare queat, quin certum sit, nullibi plures consistere Anabaptistas, quàm quò peruenire doctrina Lutheranorum non potest, qua illorum errores grauiter sunt refutati. Sacrificulorum enim ruditas & turpitudo à publicis cœtibus honestos utros deterret, quorum somnia dum declinant, simplicitate quadam rudi pro Euangelio amplectuntur, quod illorum impietati contradicere, & ad ueritatem accedere uidetur.

Ipsi ergo uiderint, quomodo rationem Deo sint reddituri, quorum culpa simplices & rudes homines in horribiles errores delabuntur, qui uestrorum sacrificulorum impietatem probare nõ possunt, quam uos mordicus & uestro & ipsorum periculo propter quæstum & uoluptates retinetis & defenditis.

Quapropter uestros Anabaptistas uobis remittimus,

timus, quorum ſpiritus veſtro non uidetur diſſimilis, qui ſcripturam tanquam mortuam literam & fragiles chartas traducitis, & ſpiritus reuelationi, hoc eſt, veſtris ſomnijs fidem habere uultis, quæ ex ſcrinio capitis veſtri, hoc eſt, Romani Antichriſti promanant.

De Sacramentarijs.

DE uarietate opinionum in negocio cœnæ Dominicæ ſupra diximus. Cui hoc loco etiam reſpondemus, ſi transfuga ſcholaſticorum opiniones de hoc negocio conciliauerit, ut cõperiat ex eodem ſpiritu omnium diſputationes & ſententias profectas, Nos quoq; de concordia & conciliatione ſæpe tentata cogitabimus.

Zuinglianorum doctrinam cum Auguſtanæ Confeſſione in hac parte pugnare, iam ab initio nunquam diſſimularunt noſtri, cum de cœna Domini non eædem exhiberentur Cæſareæ maieſtati in Comitijs Auguſtanis Anno 1530. Confeſſiones. Si qui nunc ſua dicta commodius interpretantur & ad hunc pium noſtrum conſenſum accedere uolunt, hos, tantum abeſt, ut repellant noſtri, quin hortatores illis & ſint & fuerint ſemper, ut abiectis cogitationibus, & rationibus humanis in tam ſublimi Myſterio intellectum ſuum ſubijciant

uerbo Christi, quod nobis ueri corporis & sanguinis Christi, uerè & substantialiter exhibitionem, unà cum externis symbolis polliceatur.

De sectis Confessionistarum.

SCopum Omologisticæ, hoc est, confessionariæ sectæ præcipuum semper fuisse asserit, utsedem Apostolicam, & quod in Christiana fide catholicum est (ne uidelicet ulla sit Apostolicæ clauium potestas) funditus deleant. Eius consensum uocat, socialem conspirationem. Hanc sectam ait irrepsisse in aulas Magnatũ & principes corrupisse, sicut Anabaptistica Rusticos, & Sacramentaria, Ciuitates.

Si per sedem Apostolicam intelligat Romani AntiChristi sedem, quæ sua amplitudine totum ferè orbem occupauit, hoc est, Antichristus sua impia doctrina & Idolatria in Ecclesia Dei sedit, & dominatus est, hoc semper professi sunt pij principes, se doctrina sana & ministerio docentium hanc Pontificis sedem euertere & Idolatriam abrogare, & uerum Dei cultum plantare curauisse. Si uero sedem Apostolicam intelligat ministerium docendi (catenus enim sedisse Apostolos passim diximus, quatenus regnum Dei annunciauerint)

uerint) quod hoc unà cum omnibus quæ in fide Christiana catholica sunt, ne sit ulla clauium Apostolicarum potestas, euertere studeant Principes pij, hoc admodum impudens est mendacium. Cùm enim fidem Catholicam profiteantur omnes, quæ comprehensa est in tribus Symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasij, qua fronte tantum crimen pijs Principibus imputare audet? Quin potius in hoc incumbunt unicè, ut quod in fide Christiana catholicum est promoueant, maximè uero ut Ecclesia rectè doceatur de potestate clauium Apostolicarum, quæ consistit in annunciatione Euangelij, quæ fide accepta referat ostium cœli, quod est Christus, per quem aditus fit ad Patrem, & uitam æternam.

Quas recitat sectas κατὰ τὰ γένη & εἴδη Confessioniſtarum, meræ calumniæ sunt. Nam quos uocat rigidos & Stoicos confessioniſtas, quorum numero censentur, Illyricus, Gallus, Amsdorfius, Schneppius, Morlinus, VVestphalus, Sarcerius, bi à litera & sensu confessionis Augustanæ non recedunt, qua in parte laudatur illarum Parrisia & constantia.

Quos autem uocat secundæ factionis, molles philosophos, certum est, idem prorsus sentire &

docere quod priores, quos transfuga appellat rigidos Stoicos confessionistas. Nam dissidium inter illos exortum est de rebus præteritis, hoc est, de actionibus quæ natæ sunt ex Augustano Interim. Si quid languidius actum est à quibusdam, ut furori quorundam cederetur, & tamen Ecclesiæ non deserentur, qua in parte etiam suam infirmitatem agnoscunt, qua impudentia tu sectas confingere audes? cum de doctrina maior sit consensus, quàm tuæ factionis homines uellent esse.

Tertiæ factionis appellat recalcitrantes, quos etiam inter confessionistas recenset. Sed qua impudentia audeat Schuuenckfeldium cum suis opinionibus inter confessioni Augustanæ addictos recensere miror, peculiarem enim confessionem edidit, qua demonstrat se Augustanam non amplecti.

De Osiandro supra dictum est, ut non opus sit plura hic de eo commemorare, quàm sit in ipsum iniurius Staphylus.

Vt ergo breuiter & in summa ad Tabulam eius respondeamus, qua odiosè unius societatis multa nomina confinxit, mera malitia & studio infamandi doctrinam Euangelicorum factum esse non dubitamus.

Nam ut demus de omnibus controuersijs esse reale bellum, tamen in multò pauciora capita

referri

referri possunt, nisi maluisset Sycophanta ad augendum odium aduersus nos alio modo recensere.

Anabaptistas reijcimus in secundum locum, cum quorum erroribus confessionistis, ut hic Sycophanta appellat, nihil est commune: quòd si singulorum confessiones de singulis locis doctrinæ Christianæ audiantur, fortassis multo plures reperientur. Eorum autem numerus, longo intervallo æquare non potest multitudinem & copiam Epicureorum, qui apud uos optimi catholici appellantur. Quorum fides autem uobis probatur, modo non pugnent cum uestra impietate, utcunq; omnem Dei cultum ignorent.

Sed dixerit, Quis omnium animis imperare queat? Recte quidem ille, modo eadem excusatione uti nobis quoq; liceat.

De Sacramentarijs. Certum est quos ille appellat sacramentarios, Troptistas, Energicos, & Arrabonarios, eandem doctrinam tueri, sed quorum alter altero commodius loquitur.

Sic & de Phrasibus, in adessendo, esse cum pane, esse sub pane, iudicandum est, quas perfidus Sycophanta tanquam trium sectarum opiniones traducit, cum Lutherus his omnibus in explicatione huius Mysterij usus sit.

Sic & Schwuenckfeldio suus peculiaris locus cum de cœna Domini disseritur.

Sic quos inter confessionistas, uocat Antadiaphoristas, antiSchwuenckfeldianos, Antosiandrinos, Anticaluianos, non nisi augendæ inuidiæ gratia seorsim enumerauit.

Bisacramentales, Trisacramentales & Quadrisacramentales, non pugnant reipsa, sicut suprà demonstrauimus.

Sed desino nugas eius recensere, ne uidear cum ipso insanire. Nihil enim noui est, quod interdū etiam amicus ab amico dissentiat, cum idem nunc clarius, nunc obscurius uel explicemus uel intelligamus. Has dissensiones si quis in Catalogum referre uellet, quis quæso finis controuersiarum futurus esset?

Sed quod nugatur horum assertiones contradictorias esse, quàm uanum sit, supra de materia controuersiarum demonstrauimus.

Multo minus uerum est Papistarum opinionē propterea ueram, quia apud aduersarios est diuersa explicatio, fieri enim potest ut interdum minus dicatur, aut obscurius, non autem contrarium, aut contradictorium.

Quo minus autem sarciatur concordia, non obstant res, sed odium sathanæ, qui de re frivola maximas & acerbissimas controuersias excitare

potest

poteſt, ubi animis per ſpiritum Domini compoſitis in reipſa nulla eſſet difficultas.

Quapropter etſi concedamus aliquam notam hæreſeos eſſe diſcordiam & diſſenſionem, inde tamen firmum argumentum ſumi non poteſt, ſicut ſuprà docuimus. Aliàs enim doctrina Apoſtolica quoque infamaretur, quam pij opponebant Gentium Idolatricarum conſenſui, utcunq; hæreſes, diſſenſiones, ſectæ & ſchiſmata in Eccleſia exorirentur, ſicut ad Corinthios ad Galatas & alijs in locis uidere eſt.

Hinc patet loca ex Patribus de hac nota nihil ad nos pertinere, cum à diſſenſione non ſit firma ratiocinatio, quæ exoriri poteſt etiam inter rectè ſentientes ubi nimium affectibus indulgetur, & alter alterius uerba minus candidè interpretetur, quæ ſi per ſe extra controuerſiam conſiderantur, nihil in ſe continent reprehenſione dignum.

Specioſiſſimum argumentum eſt, quod probare conatur, confeſſionis Auguſtanæ ſocios in fundamento doctrinæ pugnare: Præcipui & fundamentales Articuli ſunt, De perſona Chriſti, De libero Arbitrio, De Iuſtificatione & Iuſticia Dei, de fide, Spe, Charitate, De Pœnitentia, de bonis operibus, De Sacramentis, de horum numero, De Cœna Domini, De Baptiſmo, De Eccleſia &c. De

bis articulis sunt concertationes. Ergo Lutherani in fundamento non sunt concordes. Respondeo simpliciter, blas esse in Conclusione quàm erat in præmissis. Duplex enim de quolibet Articulo potest esse dissensio, altera, qua ipsum fundamentum euertitur, altera, qua manente fundamento ex affectu magis quàm rei ueritate controuertitur. Quomodo autem pleræque disputationes fundamentum non euertant, De materia controuersiarum ostensum est. Et candidi lectores, dum has controuersias cognoscunt, & utrinq; fundamento nihil adimi uident abiecta contentione ita de reipsa iudicant, ut utriq; satisfaciant, quos uident affectibus, non rebus, pugnare, de quibus rectè instituti sunt, nec eorum numero censeantur, qui ex utraq; parte claudicant.

Supra quoq; refutata est Blasphemia, qua Augustanam Confessionem, quæ summa est doctrinæ Euãgelicæ, confert Pandoræ Hesiodi speciosæ, sed ex qua omnis generis mala in Germaniã eruperint. Hæc contumelia cum redundet in filium Dei, non dubitemus suo tempore fore uindicem, qui suo Consilio permittit ut in Ecclesia Hæreses exoriantur. Calamitatum uero præcipua causa est Euangelij contemptus, qui cùm sit in Germania summus, hoc minus mirari debemus tot genera offendiculorum, quibus Ecclesia affligitur. Interea

ad ex-

ad exiguum tempus exultent aduersarij ueritatis, quos in errore & turpitudine magno consensu retinet Sathan, donec iudicium Domini subeant, quod appropinquare minimè dubitent.

Hæc sunt, quæ breuiter aduersus calumnias & mendacia Staphyli annotare uisum fuit, ut omnes uanitatem Transfugæ intelligant ac detestentur. Et cum uideant in hoc homine horribile iudicij Dei exemplum, timorem Domini discant, ne & ipsi ingratitudinis suæ dent pœnas, sicut uident, hunc hominem longè miserrimum post agnitam ueritatem abiectam, in reprobam mentem datum.

In fine hoc unum duntaxat pium lectorem monere uolui, cum hic Sycophanta Vuirtenbergenses traducat Ecclesias, quòd paulo moderatius in controuersia Brutenica cõfuluerint: hoc uniuerso orbi, & omnibus Christianis Ecclesijs testatum uolumus. In toto Ducatu Vuirtenbergensi, quemadmodum & Augustana & Ill. Vuirtenbergensium Ducis confessio habet Tridentino concilio oblata, De iustificatione hominis coram Deo, non nisi hanc sententiã piè & constanter doceri: Hominem iustificari, hoc est, Deo gratũ & acceptũ fieri & peccatorum remissionem habere propter unicam & solam obedientiam Domini nostri Iesu

Christi, per solam fidem nobis applicatam. Et hanc credimus ac confitemur esse imputatam siue imputatiuam iusticiam, de qua Apostolus ad Romanos & ad Galatas disputat. Qui aliter docent, hi sciant sibi in nostris Ecclesijs nullum dari locum.

Eat nunc Staphylus, uel quisquis fuerit alius Sycophanta, & Vuirtebergenses Ecclesias tanquam Osiandricas, uel Medioslandricas apud imperitos traducat, qui nondum didicit, quantum ab hac pia sententia Osiandri distet opinio, sicut supra in Antilogia confícta demonstratum est.

Et ne in Ecclesias nostras beneficio Dei pacatas & tranquillas, & quæ ad latum unguem à confessione Augustana non recesserunt, lites, quæ nihil prorsus ad nos pertinent, deriuaremus, nulla prorsus ne quidem uocabuli Essentialis iusticiæ Dei pro concione apud imperitam plebem fit mentio, cum sit scholasticum, & unà cum ipsa controuersia in scholam relegandum.

His spero satisfactum iri omnibus pijs, qui fortasse de nobis falsò diuersum persuasi sunt. Reliquorum non moramur iudicia.

FINIS.

Francoforti ex
cudebat Petrus
Brubachius an
no Domini mil
lesimo quingen
tesimo quin=
quagesimo
octauo.